PAULI AD GALATAS EPISTOLA.

PAULI

AD

GALATAS

EPISTOLA

LATINE VERTIT

ET

PERPETUA ANNOTATIONE ILLUSTRAVIT

DR. GEORGIUS BENEDICTUS WINER,

ANTEHAC THEOL. PROF. P. O. LIPSIENSIS etc.

EDITIO QUARTA AUCTA ET EMENDATA.

LIPSIAE

PROSTAT APUD C. H. RECLAM sen.

MDCCCLIX.

Iam dudum tertia hujus libelli editione vendita desiderium multorum, qui eundem possidere cupiebant, expleri non potuit. Praeclarum auctorem ipsum, annum abhinc mortuum, editionem novam praeparavisse, ejusdem exemplar ostendit, multis correctionibus ab ipso margini adscriptis ornatum. Nimirum iterum ac saepius hoc opusculum elaborasset, priusquam ipse in lucem emisisset. Quum vero auctor, proh dolor! ex vita abiisset, certe non supervacaneum videbatur libellum in eam, quam iste reliquit, formam redigere itaque edere. Quod quidem ita peregimus, ut ea tantum, quae Winerus deleverat, nos omitteremus, neve alia quam quae ipse adscripserat, adderemus. Totum animum in eo posuimus, ut aliena quaelibet prohiberentur ac scripta Wineri genuina et integra traderentur. Itaque libellus, sicuti

post mortem auctoris repertus, ita typis expressus est. Quapropter commentarius quidem multas, praelegomena autem et excursus nullas emendationes lectori praebent. Aliorum Wineri librorum, ubi loci commemorantur, novissimas editiones adduximus (Grammatik des neutestamentl. Sprachidioms. 6. Aufl. 1855. — Bibl. Realwörterbuch. 3. Aufl. 1847). Itaque exeat libellus ac juvet, ut recordemur Wineri. Pia ac grata sit viri dilectissimi memoria! —

PRAEFATIO TERTIAE EDITIONIS.

Tertium nunc in lucem emisimus hanc epistolae ad Galatas scriptae enarrationem [1]), qua, cum omnibus placere in tanta theologorum discordia nemo possit, eorum certe, quibus idonea librorum divinorum interpretatio curae est, assensum ferre magnum in modum cupimus. Sed ut illi, qui de instituto nostro recte

1) Primum prodiit a. 1821. tanquam *novi in epistolas Pauli commentarii specimen.* Nunc omisi haec verba, non quo abiecerim omnino istud consilii, sed quod, si ad ipsum commentarium perscribendum aggredi licuerit, aliam enarrandi rationem inire decrevi. Etenim *primum* omni, qui dici solet, apparatu critico denuo pervestigato graeca diligenter refingere et emendatius exscribere signisque distinguere in animo est. *Deinde* glossarium Paulinum conficere statui, in quo vocabulorum proprietas et graeco et Paulino usui convenienter explicabitur, signi-

existimare velint, habeant, quo suum iudicium dirigant, ab ipso libelli principio dicendum paucis est, qua ratione has literas illustrare visum fuerit. Bipartita scilicet erat nostra opera. Primum, Paulinarum sententiarum continuationem omnem brevi in conspectu posituri, id egimus, ut graeca in latinum converteremus omni, qua fieri posset, et fide et linguae latinae (quae ab oratione Paulina multum distat) reverentia. Fidem dicimus, quae in repraesentando omni disputationis habitu et colore cernitur (quare ne ab anacoluthis quidem abstinuimus), — latini sermonis reverentiam, quae cavet, ne praeter summam necessitatem antiqua dicendi castitas violetur. Difficilis fuit utriusque virtutis consociatio; sed quo successu nos laboraverimus, alii videant, qui cum reprehendendi invidia hoc etiam officii sibi impositum existimabunt, ut emendandi rationem praeeant. Ceterum vix iterum adiecissem hanc interpretationem latinam, nisi me movisset docti cuiusdam et venerabilis viri auctoritas, cui facile et perlubenter cedo.

---

ficationum necessitudo accuratius demonstrabitur, notiones etiam rerum copiose pertractabuntur. *Denique* graecis perpetuam annotationem subiiciam, quae, quantum fieri poterit, presse omnem sententiarum Paulinarum vim e singulis verbis verborumque continuatione dilucidet. Haec autem dicendi brevitas et lectoribus, spero, utilis erit et non aliena ab interpretandi subtilitate, siquidem plurima paucis verbis tangere lectoresque ad glossarium Paulinum remittere licebit.

In commentario scribendo hoc maxime spectavi, ut *accurate* interpretarer verba, explicarem sententias D. Apostoli, h. e. ut et notionum sententiarumque vim, naturam, necessitudinem, discrimina denique ex omni disciplina vel apostolica vel Paulina dilucidarem, et vero singula verba eorumque declinatus, quemadmodum ipsorum proprietas et graecae linguae leges postulant, illustrarem. Multum enim abhorreo, velut ab illorum malis artibus, qui suas opiniones inferre libris sacris quam quae apostolorum mens fuerit, diligenter anquirere malunt, ita ab horum levitate, qui, enallages turpem excusationem semper in ore gerentes, de perpetua vocum formarumque inter se permixtione somniant. Hoc effusissimum arbitrium, hanc (quidni appellem?) temeritatem, quae dici vix potest, quantum damni librorum sacrorum interpretationi attulerit quantamque turpitudinis notam omni nostrae interpretandi arti inusserit 2), ut tandem abiiciant, quotquot ad N. Test. explicandum accedunt, mirifice optamus. — Aliorum interpretum, antiquiorum inprimis (qui sententiarum nexum saepe acutius perviderunt rerumque notiones religiosius explicuerunt) opiniones, antequam scriberem, examinavi omnes, paucas tantum in commentario perstrinxi, eas, quae vel subtilitatis cuiusdam speciem prae se ferrent, vel probabilitate quadam sese com-

---

2) Cf. quae bene disputata sunt in Ephem. Jen. 1825. I. p. 58.

mendare prae ceteris viderentur; neque enim placuit, integras paginas ex vetustis libris transscribere, aut omnino omnia, quae utiliter expromi possent, larga manu afferre. Ceterum, quod permultis leve admodum videtur, latinae etiam orationi idoneam operam dedi ac legendis iterumque repetendis optimis, qui in hoc genere excelluerunt, scriptoribus, ut Cicerone, ut Varrone, ut Quintiliano, hoc consecutus esse mihi visus sum, ut nullum vocabulum ponerem, quod non eadem ratione ab illis positum intellexissem. Vale.

Scr. d. XXX. Mart. MDCCCXXIX.

PROLEGOMENA[1].

§. 1.

DE GALATIS, QUIBUS SCRIPTA EST HAEC EPISTOLA.

De *Galatis* eorumque origine, situ et moribus non attinet longam disputationem ingredi [2]); sufficiat hunc locum paucis perstrinxisse. Galatas (Tac. Ann. 15, 6.)

---

1) Cf. P. Mynster Einleitung in den Brief an die Galater, in seinen kleinen theologischen Schriften (Kopenhagen 1825. 8.) p. 49 sqq.

2) V. qui copiose his de rebus exposuerunt. C. G. Hoffmann Diss. de Galatia antiqua L. 1726. 4. Ei. Introduct. theol. crit. in lection. epistt. P. ad Galatas et Coloss. L. 1750. p. 1—82. G. Wernsdorf de republica Galatar. lib. singul. Norimb. 1743. 4. E. A. Schulze de Galatis. Frcf. a. V. 1756. 57. 2 Progr. 4. Cellarii notit. orb. antiq. II. p. 173 sqq. Mannert Geographie der Griechen u. Römer VI. III. p. 37 sqq. Hug Ein-

a Gallis s. Celtis [3]) originem duxisse, convenit inter auctores (Liv. 38, 16. Strab. IV. p. 187. Casaub., Tom. I. p. 301. ed. Lips. add. Iustin. 25, 2. Pausan. 10, 23. 9.). Scilicet tertio ante Christum seculo [4]) tres potissimum Gallorum populi (Tlistoboios, Tectosages [Caes. b. Gall. 6, 22.] et Trocmos appellant Strabo XII. p. 566. [III. p. 55. Lips.] Plin. H. N. 5, 32. [42]) e Thracia, ubi consederant, Leonnorio ac Lutario ducibus in Asiam traiecerunt ibique, postquam diu circumvagati erant, occupata [5]) omni inter Sangarium Thymbridenque et Halyn fluvios [6]) re-

---

leitung II, 314 sqq. P. Wesseling ap. Borger p. 7 sqq. Adde interprr. ad 1. Pet. 1, 1. inpr. Pottium p. 28.

3) Nobilis est locus Hieron. Prolegg. in ep. ad Gal. „unum est, quod inferimus — — Galatas excepto sermone graeco, quo omnis oriens loquitur, propriam linguam *eandem* habere *quam Treviros.*" His fidem nuper derogare studuit W. Schlegelius, vir eruditissimus (ind. Biblioth. II. p. 182 sqq.); dubito, an recte.

4) Factum hoc esse a. 3. Olymp. 125., auctor est Pausanias 10, 23.

5) Primis annis Attali, Pergamorum regis h. e. Olymp. 135. v. Wernsdorf p. 129.

6) De finibus Galatiae (quam seriore tempore Γαλατίαν τὴν μικρὰν vocarunt Socr. Hist. eccl. 6, 18.) magnum est auctorum dissidium cf. Wernsdorf l. c. p. 185 sqq.

gione, montosa quidem illa sed fertili et opulenta (Strabo XII. p. 567. Steph. Byzant. p. 744. Anon. ἐξήγησ. ὅλου τοῦ κόσμου c. 22. 25.) connubiis sese commiscuerunt cum Graecis, unde *Gallograecorum* nomen (Liv. 37, 8. 38, 18. Iustin. 25, 2.) invaluit [7]). Post a Cn. Manlio Cos. a. u. 566. (h. e. 188. ante Chr.) devicti (Liv. 38, 12. Plutarch. virt. mul. p. 258.) Romanis paruerunt, quanquam suis usi tetrarchis (Strabo XII. p. 541. et 567. Cic. ad Div. 1, 15. Plin. 5, 42.) donec imperante Augusto a. u. 729. h. e. 26. aer. christ. in provinciae Romanae formam redigebantur (Dio Cass. 53. p. 514. Eutrop. 7, 5. Euseb. Chron. ad olymp. 188.). Mox plures eam in regionem deductae sunt coloniae, quas partim agri fertilitas, partim situs mercaturae opportunus alliceret; in his etiam Iudaeorum fuit sat magnus numerus (Ioseph. Antt. 16, 6.) [8]).

Ecclesiam, quae in Galatis exstitit, christianam (1. Cor. 16, 1. 2. Tim. 4, 10. 1. Petr. 1, 1.), mixtam illam e Judaeis et paganis [9]), ab ipso Paulo Ap., qui in *secundo* itinere rei christianae causa suscepto (a. 53., si Eichhornio fides) una cum Timotheo Ga-

---

7) Plutarch. virt. mul. p. 258. τοὺς ἐν Ἀσίᾳ Γαλάτας appellat.

8) Cf. Monum. Ancyran. in E. Chishull Antiqq. asiatt. p. 165.

9) Cf. Th. Hasaeus in Biblioth. Brem. IV. pag. 1014 sqq.

latiam quoque peragraverat (διελθόντες — — — τὴν γαλατικὴν χώραν Act. 16, 6.) [10]), conditam esse discimus e 4, 13 sqq. coll. v. 19. Posthac iterum accessit a. 57. (Eichhorn.), ut auctor est Luc. Act. 18, 23. 19, 1 sqq. coll. Gal. 4, 13 sq. Etenim quod Koppius (Prol. p. 8.) [11]) et Keilius [12]) *ter* (primum eo tempore, de quo agitur Act. 14, 6.) Paulum in Galatia fuisse contendunt, hoc non potest probabiliter effici. Utitur ille quidem duabus potissimum causis: prima ducta est e Gal. 2, 13., ubi Barnabae, tanquam Galatis noti, mentionem iniicit P.; is autem in illo itinere, de quo Act. 16. agitur, iam a P. latere discesserat (Act. 15, 39.). At vero magna tum florebat Barn. in omni Asia nominis fama (Graeci quartum decimum apostolum vocant): quidni potuerint Galatae de eo fando audivisse? Certe ut ipsum de facie nossent, non opus fuit, quemadmodum Joannem, Jacobum, Petrum (1, 18. 2, 5.) Galatis de facie cognitos fuisse, demonstrari nequit. Altera causa, quam *Keilius* quoque exornavit, proficiscitur a locis Act. 15, 36. 16, 5. Inde apparere dicunt, secundum iter (Act. 16.) ad *confirmandos* tantummodo (Act. 16, 36. 41.) in religione Christianorum animos a P. institutum

---

10) Schmidtium, qui secus statuit (Einl. ins N. T. p. 244.), bene refutavit Eichhornius Einl. III. p. 75. not. 5. adde Michael. Einl. II. p. 1194.

11) Assentiente Hänleinio Einleit. II. p. 397. 407.

12) Analectt. III. II. p. 66 sqq.

esse. Quid vero? an non ipse Lucas significat (v. 6. 7.), Paulum etiam in Asia et Bithynia doctrinam div. traditurum fuisse, nisi impeditus esset a πνεύματι? an non Macedones quoque adit Apostolus (Act. 16, 10.), quibus nondum tradita esset doctrina christiana? an non ea omnia, quae inde a v. 6. leguntur, ad τὸ λαλῆσαι τὸν λόγον magis quam ad τὸ ἐπιστηρίζειν τὰς ἐκκλησίας pertinent? Sed v. omnino Eichhorn. III. p. 73. not. 1. Hug. II. p. 316. Berthold VI. p. 2775. Accedit denique, istum locum, qui est Act. 14, 6., temere huc trahi. Nam, ut largiar, voc. περιχώρου de ampla quadam regione, de integra provincia dici (id quod negavit Eichhornius): tamen, quicunque in tabulam geographicam oculos coniecerit, intelliget, τὴν περίχωρον Λύστρας καὶ Δέρβης vix ac ne vix quidem Galatiam esse posse. Apostolus enim Iconio expulsus in haec oppida h. e. *meridiem* versus sese contulerat, Galatia vero *septentrionem* versus sita erat, ac Phrygia interiecta separabatur a Lycaonia. — At fuerunt nuper, qui non in voce περιχώρου sed in ipsa Lystrae et Derbes mentione Galatiam significari contenderent [13]). Scilicet ex Dione Cassio [14]) discimus, Amyntam regem ab An-

---

13) V. post Mynster l. c. p. 65 sq. inpr. Paulus in Heidelb. Jahrbüch. 1827. p. 636 sqq. add. J. J. Schmid de Galatis, ad quos P. literas misit Nordhus. 748. 754. 2 Commentt. 4.

14) 49, 32 p. 411. ὁ Ἀντων. ταῦτά τε οὕτως ἔπραξε

tonio praeter Galatiam proprie dictam Lycaoniae etiam et Pamphyliae partes accepisse, Galatiam vero et Lycaon. partes, occiso Amynta, ab Augusto in provinciae rom. formam redactas et unius propraetoris curae commissas esse [15]); accedit, quod Plinius [16]) diserte Lystram a Galatis incoli tradit. Habent haec, fateor, aliquam speciem, neque tamen movere me possunt, ut ab ista, quam dixi, sententia discedam. Primum enim Lucas ipse oppida Derbes et Lystrae a Galatia accurate distinguit Act. 16, 1. 6. et Lycaoniae attribuit 14, 6. Pamphyliae quoque, tanquam provinciae a reliquis seiunctae, bis mentionem facit 14, 24. 15, 38. Hinc apparere puto, tum temporis antiqua nomina vulgo usurpata fuisse, quemadmodum apud nos etiam fieri solet, ut quas terras geographicarum rerum scriptores uno nomine comprehendunt (quod uni istae domino parent), eas vulgus antiquis et consuetis appellare pergat. E Lucae igitur commentariis effici nequit, Paulum in

---

καὶ δυναστείας Ἀμύντᾳ μὲν Γαλατίας καίπερ γραμματεῖ τοῦ Δηϊοτάρου γενομένῳ, ἔδωκε καὶ Λυκαονίας Παμφυλίας τέ τινα αὐτῷ προσθείς.

15) Dio Cass. 53, 26. p. 514. τοῦ Ἀμύντου τελευτήσαντος οὐ τοῖς παισὶν αὐτοῦ τὴν ἀρχὴν ἐπέτρεψεν ἀλλ' ἐς τὴν ὑπήκοον ἐσήγαγε. καὶ οὕτω καὶ ἡ Γαλατία μετὰ τῆς Λυκαονίας Ῥωμαῖον ἄρχοντα ἔσχε. Pamphyliae oppida libertati restituebantur.

16) H. Nat. 5, 32.

isto itinere Act. 14, 6. Galatiam tetigisse. Deinde si vel concedam, Paulum alio, quam Lucas, sensu Galatas dixisse, hoc tamen mirum videri debet, Christianos in terris Galatiae adiectis habitantes, quibus solis tum auctore Luca doctrina christ. tradita est, ab Apostolo Galatas appellari. Sed ita tamen statuere coguntur, quicunque statim post illud Pauli iter Galaticum Act. 14. epistolam nostram scriptam esse contendunt, ut nuper voluit C. W. Niemeyerus. Omnino autem non placet, a coniectura parum firma aliam coniecturam nectere. Sed hoc quale sit, dicendum est accuratius.

§. 2.

QUO TEMPORE ET LOCO SCRIPTA SIT HAEC EPISTOLA.

De tempore, quo data ad Galatas epistola sit, duae potissimum sunt virorum doctorum sententiae. Alii enim, e quibus Michaelem [17]), Schmidtium [18]), Keilium [19]), Paulum [20]) nominasse sufficiat, brevi

---

17) Einleit. II. p. 1193 sq.

18) Einleit. ins N. T. p. 245.

19) Analectt. III. II. p. 55 sqq. Adde I. C. Fischerum, qui libellum de tempore, quo epist. P. ad Gal. scripta fuerit, Langosal. 1808. 4. emisit.

20) Heidelb. Jahrb. 1827. l. c.

post Galatarum ad sacra christiana transitum h. e. post primum Apostoli in Galatiam iter scriptam eam esse arbitrantur, et veterum (ut Marcionis v. Epiphan. haer. 42, 9.) auctoritate et verbis v. 6. οὕτω ταχέως et rationibus denique chronologicis moti[21]): in tempore autem accuratius definiendo mirifice dissentiunt[22]). Alii contra, postquam P. *iterum* apud Galatas commoratus fuisset, missam hanc epistolam esse contendunt, ut Hänleinius[23]), Blochius[24]), Koppius[25]), Mayerus[26]), Hugius[27]), Eichhornius[28]), Ber-

---

21) Alia enim argumenta, quae Michaelis persequitur, levia admodum sunt v. p. 1195 sq.

22) Michaelis enim et Schmidtius primum P. ad Galatas iter reperisse sibi videntur Act. 16, 6., Keilius vero Act. 14, 6. Inde in temporum descriptione magnam nasci debere varietatem, sponte apparet.

23) Einleitung III. p. 407. ed. 2., Lehrbuch der Einleitung p. 436.

24) Chronotaxis scriptorum D. Pauli. Flensburg. 1782. 8. p. 135 sqq.

25) Prolegg. p. 8 sqq.

26) Der Brief an die Galater etc. übersetzt mit Anmerkungen p. 11 sq.

27) Einl. II. p. 235.

28) Einleit. III. p. 85.

tholdtus[29]), Mynsterus[30]), atque hi a vocabulo πρότερον Galat. 4, 13. maximam sententiae suae commendationem petunt, quamquam, utrum sit secundum Pauli ad Galatas iter *hoc*, quod Act. 18., an *illud*, quod Act. 16. commemoretur, vehementer ambigunt. Quid mihi videatur, paucis exponam. Scilicet in eorum interpretum, quos posteriore loco posui, partes concedo et hanc epistolam post *secundum* Pauli in Galatas iter h. e. post illud, de quo Act. 18. legitur, scriptam esse, cum Hugio, Eichhornio et Bertholdto existimo. Nam vocab. πρότερον Gal. 4, 13. longe facillime ita intelligitur, ut statuas, Paulum, cum haec scriberet, *bis* iam in Galatia doctrinam divinam tradidisse; ea certe, quae Keilius[31]) contra monuit, non magnam vim habere mihi videntur; dicit ille: „dieses *erstemal* bezieht sich nicht auf eine zweite persönliche Belehrung der Galater bei einem wiederholten Aufenthalte des Apostels unter ihnen, sondern vielmehr auf die gegenwärtige zweite, aber *schriftliche* Belehrung derselben" etc. At vehementer dubito, an Paulus voc. εὐαγγελίζεσθαι de his etiam literis, in quibus errores hominum imprudentum perstringit, uti potuerit, nec locum recordor, ubi εὐαγγελίζεσθαι aliter quam de institutione christiana, quae ore fiat, dictum sit.

---

29) Einleit. VI. p. 2769 sqq.

30) l. c. p. 67 sqq.

31) l. c. p. 70.

Sed videtur Keilius in hanc explicationem non nisi suae sententiae confirmandae tuendaeque studio deductus esse. Itaque sequitur, ut, haec ipsa sententia qualis sit, breviter explicemus. Scilicet negat Keilius, epistolam ad Galatas post illa, quae Act. 16. narrantur, confectam esse posse, his potissimum de causis: 1) quod c. 1. et 2. historia Pauli non nisi ad secundum usque iter Hierosolyma susceptum (Act. 11, 27.) deducta sit, tertii itineris (Act. 15.), post primam Pauli apud Galatas commorationem (Act. 14, 16.) instituti, nulla prorsus mentione facta; 2) quod ad decretum Hierosolym. (Act. 15, 6 sqq.), quanquam in eadem quaestione versaretur, in omni epistola non provocaverit P.; 3) quod peracto concilio Hieros. aliquanto lenius, quam in hac epistola fieri videamus, de iudaicorum rituum vanitate existimaverit. At enimvero haec omnia quam parum ponderis habeant, demonstravimus in 2. excursu ad hanc ep.; quapropter non opus est, ut iis diutius hic immoremur. Alia autem, quae nostrae sententiae opposita essent, reperire non potuimus; etenim quod Koppius et Mayerus de loco Gal. 4, 6. commentati sunt, id quale sit, iam supra vidimus. Ceterum, quod summum fere est, temporum rationes *nobis* unice favere, patet ex iis, quae in 2. exc. copiose explicata sunt. Atque hoc ipsum etiam in causa est, cur iis accedere nolimus, qui post Act. 16. has literas consignatas existimant [32]), praesertim cum loc.

32) Mynster l. c.

Act. 14., ubi primam P. in Galatia commorationem tangi opinantur, non possint nisi contorte ad suam causam transferre v. §. 2.

Iam reliquum est, ut de loco, quo haec epistola confecta sit, videamus. In ea autem quaestione nullam plane vim habere, quae in plurimis Codd. et Verss. antiquis ad epistolae finem adscripta sunt (ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης), utpote e 6, 17. temere repetita, iam ab aliis demonstratum est [33]). Virorum autem doctorum sententiae in duas potissimum partes [34]) abeunt: sunt enim, qui Corinthi (Act. 20, 3.) [35]) nostram epistolam consignatam esse arbitrentur, propterea quod magnam habeat cum illa ad Romanos data (quam tum exstitisse novimus) argumenti similitudinem. At vero quidni potuerit Apostolus de re tam gravi, quam semper animo volveret, adhibitis iisdem fere argumentis, quae sponte sese obtulisse videntur, disserere? Accedit, quod e Gal. 1, 6. apparet, paullo post Apostoli discessum turbas motas esse in ecclesia Galat., neque tamen admodum probabile est, eius rei nuntium duobus demum annis

---

33) v. Baumgarten Ausleg. p. 5., Bertholdt l. c. p. 2771.

34) Vanas enim nonnullorum opiniones, quas Michaelis (Einleitung l. c. p. 1198.) enarrat, nihil moramur.

35) Rumpaei comment. crit. ed. 2. p. 113 sq. cf. Baumgarten l. c. p. 6 sq. et Mynster l. c. p. 72.

praeteritis ad eum perlatum esse. Itaque magis placet eorum sententia, qui *Ephesi* hanc epistolam scriptam existimant [36]); in hac enim urbe, postquam e Galatia discesserat, biennium et quod excedit commoratus est (Act. 19, 10. 20, 31.); magnum autem fuit Ephesi et reliquae Asiae commercium, ita ut haec, quae in Galatia accidissent, facile posset ibi rescire. Atque in eadem opinione fuit *Claudius* iste *antissiod.* [37]).

Ceterum a Paulo ipso, non, quod plerumque factum, a librario literis consignatam esse hanc ad Galatas epistolam, discimus e 6, 11., quanquam de huius rei causis cum *Koppio* quaerere vix attinet. Miror autem, Bertholdtum secus statuere [38]) et omnes epistolas a Paulo aramaice scriptas, a librariis graece conversas esse, cum Boltenio existimare. Ido-

---

36) v. Eichhorn l. c. p. 85. Bertholdt l. c. p. 2770 sq. Nihil definiunt Michaelis, Koppius, Mayerus ac Borgerus (Prol. p. 30). Praetermittimus Blochium, qui, nostram epist. Laodiceae (Col. 4, 16.) scriptam esse, lectoribus persuadere conatus est, levissimo argumento usus.

37) De anno magnum est dissidium, sed nolo hanc quaestionem ingredi, quod eam ad liquidum perduci posse dubito. Itaque notasse sufficiat, Bertholdtum (p. 2770.) et Eichhornium statuere, a. 57. aut 58. aerae chr. nostram epistolam scriptam esse.

38) l. c. p. 2785 sqq.

neas enim huius opinionis rationes prorsus desidero v. ad 1, 6. 3; 20. 24. 6, 11.; contra vero Paulus, ut Hellenista, ut plurimum temporis inter Graecos versatus, haud dubie probabilem habuit graecae linguae scientiam, et in omnibus fere his epistolis insunt, quas dicere solent, paronomasiae, a graecorum, non ab aramaicorum vocabulorum similitudine profectae v. ad 5, 9. 10. 11. 12. Sed totum hunc locum alio tempore copiosius persequar.

§. 3.

DE ARGUMENTO EPISTOLAE.

Paullo post Apostoli discessum in ecclesia Galatarum exorti erant, qui, leges et rituum mosaicorum studiosi, hominibus christianis, iis etiam, qui e paganis originem duxissent, iudaicam disciplinam tanquam ad salutem necessariam iniungere ac Pauli, qui legis mosaicae studium inter Christianos fregerat, auctoritatem apostolicam elevare conarentur [39]. Nequè id

---

39) Erat in primitiva ecclesia duplex hominum genus, quod Paulo negotium facessebat reique christianae pacem aliquantum turbabat. Utrumque legi mosaicae nimiam

frustra. Galatae enim, institutionis Paulinae fere obliti, vanas istorum hominum opiniones persuaderi sibi passi sunt. Hoc ubi rescivit Apostolus, scripsit has, de quibus agitur, literas, in iisque, suam institutionem, qua Galatas impertivisset, unice veram (quippe a Christo ipso profectam) esse, disciplinamque iudaicam in ecclesia christiana vi omni et auctoritate carere, probabiliter demonstravit. Constat autem universa epistola tribus e partibus: *una* est de Pauli auctoritate apostolica (Cap. I. II.), *altera* legis Mosaicae causas, consilia, abrogationem denique, quae per Christum facta est, persequitur (Cap. III — V, 13.), *tertia* praecepta recte ac honeste vivendi repetit et explicatius tradit (Cap V, 14. VI, 18.).

Atque huius tripartitae disputationis hanc habeto descriptionem. I. Vera esse, quae tradiderit, sibique

---

auctoritatem vindicavit paganosque, qui ad christiana sacra transierant disciplinaeque iudaicae nullam operam dabant, aegre tulit. Sed *unum* pietatis quodam sensu ductum est, *alterum* fastu, invidia et coeco furore flagravit. Illos vocat P. ἀσθενεῖς rogatque paganos, ut eorum imbecillitati bene consulant (Rom. 14, 1 sqq. 15, 1 sqq. 1. Cor. 8, 9 sqq. Galat. 6, 1. 2.), in hos (κύνας, κακοὺς ἐργάτας Philipp. 3, 2., ψευδαδέλφους Gal. 2, 4., ψευδαποστόλους 2. Cor. 11, 13. appellat) graviter invehitur hortaturque suos, ut a talibus hominibus sibi diligenter caveant (2. Cor. 10. Gal. 1, 6—9. 5, 8. 6, 12. Col. 2, 18 sq. 1. Tim. 6, 3. 4.).

apostolicam auctoritatem competere, inde apparere docet, quod *a*) haec doctrina non ab homine ullo, ne a ceteris quidem apostolis, sed ab ipso Christo sibi suppeditata fuerit (1, 6—24.) apostolorumque gravissimorum assensum tulerit (2, 1—10.); *b*) quod adeo Antiochiae cum Petro, perversam instituendi rationem sectante, multis audientibus nec tamen quidquam obloquentibus, expostulaverit (2, 11—21.). — II. Nullam esse amplius disciplinae mosaicae vim et auctoritatem, inde demonstrat, quod *a*) Galatis omnia beneficia πνευματικά, quibus gaudeant, non per legem sed per πίστιν christianam contigerint (3, 1—5.); *b*) quod Abrahamo futura posterorum salus divinitus promissa fuerit propter *fidem* Deo habitam (ut quae sola, natura sua, salutem afferre possit 10—13.) 3, 6—14.: quam promissionem docet lege mosaica quatuor seculis post scripta tolli non potuisse 3, 15—18., sed legem accessisse tanquam παιδαγωγόν 3, 19—25., nunc vero, concessa hominibus disciplina christiana, non opus esse amplius eiusmodi paedagogo 3, 26—29., cui qui pareat, servituti eum addictum esse 4, 1—3., ab hac autem servitute redemisse nos Deique *filios* reddidisse Christum 4, 4—7.; deplorandos igitur esse Galatas atque eo magis, quo cupidius antea Pauli institutionem arripuissent 4, 8—23.; *c*) tertium argumentum ex allegorica narrationis, quae de Sara atque Hagare est, explicatione desumit: dicit enim Hagarem, ut servam et servi matrem, significare gentem iudaicam, legi subiectam, Christianos contra a Sara originem ducere

adeoque et ipsos esse liberos 4, 21—31. Quapropter abstinendum Galatis esse a circumcisione 5, 1—6. cavendumque a falsis istis doctoribus, qui sint poenis divinis digni 5, 7—12. — III. Libertatem, qua gaudeant homines christiani, demonstrat non eo valere, ut flagitiis indulgere liceat 5, 13. Sectandum potius esse mutuum amorem omnemque honestatem 5, 14—26., clementiam inprimis et beneficentiam 6, 1—10. His quicunque studeant, eos carere posse circumcisione omnique disciplina iudaica 6, 11—18.

Vel ex his, quae hactenus persecuti sumus, patet, quanta subtilitate, quam singulari solertia, quam egregio denique ordine in hac disputatione usus fuerit apostolus, quamque accommodate ad Iudaeorum ingenia h. e. quam efficaciter exposita sint omnia. Nihil facile addiderit quispiam, quod argumentorum incredibilem vim augeat, nihil demserit, quod absonum aut debile, nihil traiecerit, quod alieno loco positum videatur. Bene omnia composita absolutaque sunt, aequabiliter fluunt, et his, qui legant, assensum paene extorquent. Quod si quaeritur, utra anteponenda sit, haec ad Galatas an illa ad Romanos scripta epistola (quam constat in eodem argumento versari), equidem nostrae principatum deferre haud dubitaverim; quanquam enim utraque hunc locum, qui est de legis mosaicae fracta auctoritate, subtiliter tractat atque ita, ut eum perfecisse videatur: nostra tamen maiore gaudet brevitate et conciso admodum dicendi genere (unde haud exigua passim

oritur verborum obscuritas aut ambiguitas), maiore etiam in rebus disponendis ordine ac facilitate. Ceterum non modo cum epistola ad Romanos sed cum illa etiam, quae Hebraeis inscripta est, magna nostrae, quod sententias spectat, intercedit similitudo ac necessitas [40]); verum id copiosius explicare non est huius loci, pertinet magis ad illustrandas epistolae Hebraeis scriptae origines.

§. 4.

DE INTERPRETIBUS EPISTOLAE AD GALATAS.

Reliquum est, ut, interpretatio epistolae ad Galatas qualis omnibus deinceps seculis fuerit, videamus; idque eo magis, quod superiores epistolarum Paulinarum interpretes a nostris hominibus nimium praetermissos adeoque sua gloria, si qua fuit, defraudatos esse intelleximus. Iuvat autem ad antiquos reverti

---

40) v. Storr de consensu epistolar. P. ad Hebr. et Gal. Tubing. 1781. 4. repet. in commentt. theol. ed. a Künoelio, Velthusenio et Rupertio II. p. 394 sqq. Meyer in Ammon und Bertholdt krit. Journ. II. p. 230 sqq.

auctores vel hac una de causa, ne soli sapere nobis videamur, id quod multis literarum etiam sacrarum explicatoribus nostro tempore accidisse novimus.

1. Exordimur a *vetustis* epistolae, de qua quaeritur, *versionibus* e graeco confectis, quotquot in bibliis polyglottis Londinensibus typis exscriptae reperiuntur. Sunt autem, ut inter omnes constat, quattuor: *vulgata* illa satis nobilis, syriaca, cuius *Peschito* nomen est (seculo tertio eam exstitisse contendunt) [41]), *arabica*, quae octavi aut noni sec. esse dicitur, *aethiopica* denique, quam sec. quarto confectam volunt. Sed haec, quam postremo loco nominavimus, vix hic in censum venit, quod a Londinensibus tam mendose edita est [42]), ut, quid sibi voluerit interpres, passim ne iudicari quidem possit. Reliquae igitur tres sunt, sed ne harum quidem magnus admodum usus est propterea, quod omnis fere epistolarum Paulinarum difficultas non a singulis verbis, sed ab integris sententiis earumque nexu et compositione proficiscitur. Istae autem versiones vocabula magis quam sensum exprimunt et, quod mireris, in iis etiam locis, quae aliquantulum impedita sunt, ab omni fere explicatione,

---

41) Nam Philoxenianae in interpretandis libris sacris fere nullus usus. Tam ad verbum expressa sunt omnia. Etenim ne in iis quidem locis, ubi ellipsin deprehendimus, completam vides orationem cf. 2, 9. 3, 5.

42) v. *Iob. Ludolf.* hist. aethiop. III, 4.

quae lectorem iuvare possit, sese abstinent (cf. 3, 3. 12. 19. 20. 4, 19. 5, 13. 6, 4. 11.), quin ne ellipsibus quidem explendis operam dant v. 2, 9. Syr. Raro itaque, quod ad interpretationem difficiliorum aut vocabulorum aut structurarum pertineat, inde sumere licet; cf. tamen ad 1, 5. 2, 5. 11. 3, 7. 4, 2. 5, 7. 6, 19. Ceterum ut appareat, quales sint hi interpretes, ubi a graecis deflectunt et paullo licentius vertunt, placet pauca haec loca, in quibus id fieri deprehendimus, subiicere. 2, 2. τοῖς δοκοῦσι· Syr.: לאילין דמסתברין הוו דמדם איתיהון ביני ולהון *iis, quos inter et me putatur aliquid* (discriminis) *interesse.* 2, 18. παραβάτην ἐμαυτὸν συνίστημι· Syr.: הוית על נפשי דעבר על פוקדנא אנא exhibeo me transgressorem mandati; 2, 8. προϊδοῦσα ἡ γραφή· Syr.: ידע אלהא; 3, 10. ὃς οὐκ ἐμμένει· Syr.: דלא נעבד; 5, 5. ἡμεῖς γὰρ πνεύματι ἐκ πίστεως· Syr.: חנן גיר ברוחא דמן הימנותא nos spiritu, *qui est ex fide;* 4, 2. ἄχρι τῆς προθεσμίας τοῦ πατρός· Syr.: עדמא לזבנא דסם אבוהי usque ad tempus, quod constituit pater eius. 1, 17. ἀπῆλθον εἰς Ἀραβ Arabs: الي البلقا (v. de hoc voc. *Castell.* col. 371.); 2, 2. τοῖς δοκοῦσι· Ar.: الظانين بعلمهم علي *iis, qui eruditionis laude conspicui erant.* 3, 15. κατὰ ἄνθρωπον λέγω· Ar.: تولا يخص الانسان انزل sermonem homini proprium dico. Uno in loco 2, 1. Syrus turpiter lapsus est: graeca enim

διὰ δεκατ. ἐτῶν ita reddidit: מן קדם ארבעסרא שנין *ante quattuordecim annos.*

2. Sequitur, ut *patres* utriusque ecclesiae, qui in hac epistola illustranda versati sunt, recenseamus. In his autem post Theodorum Mopsvestenum, cuius commentarii temporis iniuria perierunt, unice eminet Ioannes Chrysostomus (a. 354—407.), qui omnibus, quotquot in ecclesia graeca deinceps secuti sunt, interpretibus facem quasi praetulit et a multis transscriptus, a nemine superatus est. In iis enim, quas ad singulos S. S. libros confecit, homiliis [43]) nihil antiquius habet, nisi sensum et singulorum verborum et integrorum commatum e loquendi usu, ex historiis, e scriptorum denique sacrorum consiliis explicare, eaque in re idoneam probavit solertiam, ita ut, si quae parum recte, nihil tamen temere dictum reperiatur [44]). Theodoretus, Chrysostomi et Theodori Mopsv. discipulus, in eodem interpretandi genere

---

43) Opp. ed. Montfaucon Tom. X. p. 657—730. Hanc autem epist. nostrae interpretationem ad commentarii magis quam homiliae formam accedere, recte iudicasse videntur editores.

44) v. Mori Acroas. sup. hermen. N. T. p. 239 sqq. Rosenmüller hist. interpret. III. p. 265 sqq. Schröckh KG. X. p. 486 sqq. G. W. Meyre nova commentat. de Chrysost. literar. sacrar. intpte. Erlang. 1814—16. 3 Ptes. 4.

permansit et, quanquam plurima e Chrysostomo hausit, brevitate tamen eum et quodam quasi delectu vicit, nonnulla etiam, quae sunt bonae frugis, de suo addidit; quare Ernestius ab eius lectione initium fieri debere egregie iudicavit [45]). Reliqui ecclesiae graecae patres, qui epistolas Paulinas enarrarunt, ut Oecumenius (sec. 10.) et Theophylactus (sec. 11.), Chrysostomi vestigia presserunt, et σειρὰς compilare quam suo iudicio uti maluerunt [46]). — Latina ecclesia non habet, qui Chrysostomo aut Theodoreto aequiparari possint. Hieronymus enim, qui aliqua hoc in genere laude floret, et pauca

45) Eius commentar. in epist. ad Gal. v. Opp. ed. Lutet. Paris. Tom. III. p. 262 — 289. ed. Simond. III. I. pag. 1 sqq. ed. Schulze Tom. V. p. 358 — 397. De ipso Theodoreto cf. Morus l. c. p. 244 sq. Rosenmüller l. c. IV. p. 35 sqq. Schröckh KG. XVIII. p. 398 sqq. Simon hist. des princip. comment. p. 314 sq. J. F. Ch. Richter de Theodor. epistolar. paulin. interprete. Lips. 1822. 8.

46) Oecumenii (de quo v. Morus p. 247. Rosenmüller IV. p. 263 sqq. Simon l. c. p. 457 sq. Fabricius Bibl. graec. VIII. 694 sqq.) ἐξηγήσεις παλαιαὶ typis exscriptae sunt a Morellio Par. 1630. 2 Voll. f. Huc spectat Vol. 1. p 719 — 769. — Theophylacti ἑρμήνεια legitur in ei. Opp. ed. J. F. B. M. de Rubeis Tom. II. Vide de hoc interprete post Fabricium (Tom. VII. p. 582 sqq.) inpr. Morum l. c. p. 245 sq. Rosenmüller IV. p. 286 sqq.

διὰ δεκατ. ἐτῶν ita reddidit: מן קדם ארבעסרא שׁנין *ante quattuordecim annos*.

2. Sequitur, ut *patres* utriusque ecclesiae, qui in hac epistola illustranda versati sunt, recenseamus. In his autem post Theodorum Mopsvestenum, cuius commentarii temporis iniuria perierunt, unice eminet Ioannes Chrysostomus (a. 354—407.), qui omnibus, quotquot in ecclesia graeca deinceps secuti sunt, interpretibus facem quasi praetulit et a multis transscriptus, a nemine superatus est. In iis enim, quas ad singulos S. S. libros confecit, homiliis [43]) nihil antiquius habet, nisi sensum et singulorum verborum et integrorum commatum e loquendi usu, ex historiis, e scriptorum denique sacrorum consiliis explicare, eaque in re idoneam probavit solertiam, ita ut, si quae parum recte, nihil tamen temere dictum reperiatur [44]). Theodoretus, Chrysostomi et Theodori Mopsv. discipulus, in eodem interpretandi genere

43) Opp. ed. Montfaucon Tom. X. p. 657—730. Hanc autem epist. nostrae interpretationem ad commentarii magis quam homiliae formam accedere, recte iudicasse videntur editores.

44) v. Mori Acroas. sup. hermen. N. T. p. 239 sqq. Rosenmüller hist. interpret. III. p. 265 sqq. Schröckh KG. X. p. 486 sqq. G. W. Meyre nova commentat. de Chrysost. literar. sacrar. intpte. Erlang. 1814—16. 3 Ptes. 4.

permansit et, quanquam plurima e Chrysostomo hausit, brevitate tamen eum et quodam quasi delectu vicit, nonnulla etiam, quae sunt bonae frugis, de suo addidit; quare Ernestius ab eius lectione initium fieri debere egregie iudicavit [45]). Reliqui ecclesiae graecae patres, qui epistolas Paulinas enarrarunt, ut Oecumenius (sec. 10.) et Theophylactus (sec. 11.), Chrysostomi vestigia presserunt, et σειρὰς compilare quam suo iudicio uti maluerunt [46]). — Latina ecclesia non habet, qui Chrysostomo aut Theodoreto aequiparari possint. Hieronymus enim, qui aliqua hoc in genere laude floret, et pauca

45) Eius commentar. in epist. ad Gal. v. Opp. ed. Lutet. Paris. Tom. III. p. 262 — 289. ed. Simond. III. I. pag. 1 sqq. ed. Schulze Tom. V. p. 358 — 397. De ipso Theodoreto cf. Morus l. c. p. 244 sq. Rosenmüller l. c. IV. p. 35 sqq. Schröckh KG. XVIII. p. 398 sqq. Simon hist. des princip. comment. p. 314 sq. J. F. Ch. Richter de Theodor. epistolar. paulin. interprete. Lips. 1822. 8.

46) Oecumenii (de quo v. Morus p. 247. Rosenmüller IV. p. 263 sqq. Simon l. c. p. 457 sq. Fabricius Bibl. graec. VIII. 694 sqq.) ἐξηγήσεις παλαιαὶ typis exscriptae sunt a Morellio Par. 1630. 2 Voll. f. Huc spectat Vol. 1. p. 719 — 769. — Theophylacti ἑρμήνεια legitur in ei. Opp. ed. J. F. B. M. de Rubeis Tom. II. Vide de hoc interprete post Fabricium (Tom. VII. p. 582 sqq.) inpr. Morum l. c. p. 245 sq. Rosenmüller IV. p. 286 sqq.

scripsit in N. Test. et haec, quae scripsit, ex Origenis libris fere omnia sumsit atque aliorum magis sententias enarrat, quam, quid sibi videatur, aperit; multa etiam e mystico genere interposuit, nec ab haereticis cupide refutandis abstinet. Verumtamen sensum verborum proprium passim bene explicat, criticas observationes satis idoneas adiicit, et liberius, quam ista aetas ferebat, iudicat [47]). Praeter Hieronymum nominandi sunt Augustinus (354 — 430.) et Ambrosiaster (quem Hilarium, diaconum romanum, esse dicunt), qui dogmatice magis quam grammatice interpretationem nostrae epistolae latinam (vulgatam) explicuerunt, ac turpem literarum graecarum inscitiam passim prodiderunt [48]). Pelagii denique notae breves sunt, sed bonae admodum frugis, unde viri ingenium haud vulgare agnoscas [49]).

---

47) Sic existimat Rosenmüller III. p. 352 sq. Habes. hunc Hieron. commentarium in Opp. ed. Tribbechov Tom. IX. p. 280 — 288.

48) De Augustino cf. Rosenmüller III. p. 458 sqq. Morus p 266 sqq., de Ambrosiast. Rosenmüller III. p. 589 sqq. Morus p. 262 sq. Illius expositionem epistolae ad Gal. v in Opp. ed. Erasm IV. p. 1210 sqq. ed. Bened. III. p. 686 — 711., huius commentar. in Ambrosii Opp. ed. Basil Tom. V. p. 319 — 339.

49) Pelagii enim esse, qui Hieronymi operibus additus est (edit. Martian. Tom. V., Valles. Tom. XI.) in epistolas Paul. commentarium probabiliter demonstravit

3. Postremum accedimus ad eos interpretes, qui inde ab emendatae ecclesiae tempore in hanc Pauli ad Galatas epistolam commentati sunt. In his autem primum locum tenet Lutherus ipse[50], sacrarum literarum egregius instaurator, qui ut in ceteros V. ac N. T. libros ita in epistolas etiam ad Romanos et Galatas commentarios scripsit satis amplos, eruditionis atque ingenii testes locupletissimos, quanquam satis constat, eum in rebus magis illustrandis quam in explicandis vocabulis versari, id quod nemo mirabitur, qui, quam grave sit et cum ipsis illorum temporum contentionibus coniunctum utriusque epistolae argumentum, cogitaverit[51]. Itaque totus fere est Lutherus in enarrandis ac defendendis locis dogmaticis, qui sunt de iustificatione, gratia, libero arbitrio, lege,

---

G J. Vossius in histor. Pelag. 1, 4. De indole libri cf. Rosenmüller III. p. 503 sqq. Schröckh KG. XIV. p. 337 sqq. Wiggers Darstell. d. Augustin. u. Pelagian. p. 48 sq.

50) Duplex est Lutheri in hanc epist. commentarius, alter longior (in epist ad Gal. commentarius ex praelect D. Mt. Lutheri collectus Viteb. 1535. 8. iam denuo dilig. recognitus, castigatus etc. Viteb. 1538. 4. et 1543. 4. s. l. 8.), brevior alter (in epist. Paul. ad Galat. Mart. Lutheri Augustiniani commentarius. 1519. 4. [Lips.] Viteb. 1523. al.).

51) Antiquiores interpretes omnes fere enarrat Walchius Biblioth. theol. Tom. IV. p. 697 sqq.

disciplina eccles. (ad cap. 6.) etc., nec errorum, qui tum spargebantur, graviter castigandorum officium praetermittit. Atque haec praeclari viri vestigia presserunt e nostris Jo. Brentius [52]) et J. Bugenhagen [53]). Calvinus [54]) vero et ipse simili modo in hanc ep. commentatus est, miramque in pervidenda Apostoli mente subtilitatem, in exponenda perspicuitatem probavit. Neque tamen defuerunt illa ipsa emendatorum sacrorum aetate, qui grammaticae interpretationi probabiliter studerent, Des. Erasmum [55]) et Th. Bezam [56]) dico. Verum insequenti tempore, quod dogmaticis disceptationibus fervebat in iisque omnes paene vires consumebat, praeter J. Piscatorem [57])

---

52) v. P. Brentii Opera Tom. VII. p. 776 — 919.

53) J. Bugenhagen Annott. in epp. ad Gal. Ephes. etc. Basil. 1525. 8.

54) J. Calvini comment. in omnes Pauli epistolas atque etiam in ep. ad Hebr. Postrema recognitio. Genev. 1600. fol.

55) Paraphr. N. T. ed. Basil. (Froben.) 1522. p. 179—206. adde Crit. Anglic. ed. Frcf. Tom. V. p. 455 sqq.

56) Ei. Annotatt. in N. T. (editae in N. T. graeco Genev. 1582. et al.) partim criticae partim exegeticae haud mediocrem (ut isto tempore) produnt graecae linguae scientiam et in interpretando artem.

57) v. Analysis logica epistolar. Pauli edit. 2. Sigen. Nassov. (1596. 8.) p. 1 — 85. Commentar. in N. T. (Herborn. 1658. f.) p. 578 — 593.

et Hug. Grotium [58]) nemò exstitit, qui illorum exemplum sequeretur. Grotio autem magnae in literis sacris explicandis diligentiae, mirificae artis, variae denique eruditionis laudes deberi, nunc quidem sciunt ac profitentur omnes, qui aliquid sapiunt. Neque tamen omnem ille gloriae materiem, in Pauli certe epistolis explicandis, ceteris praeripuit: nam, cum nostra ecclesia per aliquantum temporis non vidisset solertem interpretem, sec. 18. fere med. exortus est A. Bengelius [59]) magnamque sagacitatem in rimandis ac presse explicandis Ap. sententiis verborumque etiam minimorum significatibus consumsit, qua factum, ut Baumgartenius [60]), illi aequalis, quanquam mentis acumine et ipse haud destitutus, sua propemodum gloriola fraudaretur. Ex his, qui superiore aetate insecuti sunt, explicatoribus Sem-

---

58) Interpositae etiam sunt eius annotationes Criticis Anglicanis ed. Frcf. Tom. V. p. 465 sqq. Ceter. cf. H. Grotii Annott. in N. T. Paris. 1616. f. pag. 515 — 548.

59) Gnomon N. T. ed. 3. cur. E Bengel. Tubing. 773. 4. Nolim equidem negare, virum doctum passim nimium esse in premendis vocabulis, imo vocc. adeo formis et declinatibus (v. ad 1, 1.).

60) Auslegung der Briefe Pauli an die Galat. Ephes. Phil. Col. Philem. und Thessal (mit einigen Beiträgen v. Semler). Halle 1767. 4.

lerus [61]) luculentiora propriae eruditionis specimina dedit, quam Cramerus [62]), Koppius [63]) et Morus [64]), quippe qui nec subtili linguae graecae scientia florerent nec, quae in singulis vocabulis *legitime* explicandis necessaria sit diligentia, vel, ut gravius dicam, religio satis perspicerent. Post eos, si a Krausio [65]), Schillingio [66]), et Mayero [67]), qui

---

61) J. S. Semleri paraphrasis epistolae ad Galatas. Hal. 1779 8. cf. not. 49.

62) J. A. Cramer Vers. einer verbess. Uebers. des Br. an die Gal. in s. Beiträg. z. Beförd. theol. Kenntn. I. p. 112 sqq.

63) Nov. Test gr. perpet. annot. illustrat. Gotting. 1778. 8. ed. 2. auct et emend. cur. Th. Chr. Tychsen. ibid. 1791. 8.

64) S. F. N. Mori acroases in epp. Paul. ad Gal. et Ephes. (cur. Eichstädt) Lips. 1795. 8. add. Morus Erkl. des Briefs an die Galater. Görlitz 1798. 8.

65) Der Brief an die Galater übers u. m. Anm. von F. A. W. Krause Frcf. a. M. 1788. 8.

66) (J. H. Schilling) Vers. einer Uebers. des Briefs an die Galater mit erklärenden Anmerkungen nach Koppe. Lpz. 1792. 8.

67) Der Brief Pauli an die Galater und der 2. Brief an die Thessalon. übersetzt mit Anmerkungen v. Greg. Mayer. Wien 1788. 8.

Koppium fere sectati sunt, discedis, unus Borgerus [68]), Batavus, peculiarem nostrae epistolae enarrandae operam dedit, sed is unice fere in verbis haeret, eaque larga exemplorum copia e graecis scriptoribus desumta, ut tum mos fuit Batavorum, illustrat, disputatiouis Paulinae sensum atque indolem tangere paene reformidat [69]). Quae nuper in lucem emissae

---

68) Interpretatio epistolae Pauli ad Gal. auct E. A. Borger. L. B. 1807. 8.

69) Adde: Neue Uebers. des Briefs Pauli an die Gal. v. J. B. Carpzov. Helmst. 1794. 8. — G. T. Zachariae paraphrast. Erklär. der Briefe P. an d. Galat., Eph., Phil., Col., Thessal. Götting. 1770. 8. — J. D. Michaelis Paraphr. und Anm. über die Briefe P. an die Gal., Ephes., Phil., Col., Thessal., Tim., Tit., Phil.; 2te verm. Aufl. Brem. u. Götting. 1769. 4. — Th. J. A. Schütze Scholia in ep. ad Gal Gerae 1784. 4. — F. A Stroth umschr. Uebers. und Erklärung einiger schweren Stücke des Briefes Pauli an die Galater, in Eichhorns Repertor. Tom. IV. p. 41 sq.; — des Briefs des Apostels Paul. an die Galater, verdeutscht (mit Anmerkungen) in Henke's neu. Magaz. II. p. 1 sqq. — J. E. C. Schmidt philol. exeg. Clavis über das N. T. 1. Thl. 2te Abtheil. Giess. 1796. 8. — Pauli Brief an die Galater übers. und mit Anm. v. C. W. Hensler. Lpz. 1805. 8. — G. S. Jaspis Versio lat. epistolar. N. T perpet annotat. illustr. ed. 2. auct. Lps. 1821. Tom. I. p. 270—318. — Admirabilem nuper huius ep. interpretationem germ. emisit nescio quis Neostad. a. O. 1827. 8.

sunt, J. F. Flatti, Tubingensis olim theologi, lectiones [70]) eae cum auditorum usui accommodatae essent, trita ac pervulgata copiose persequuntur, sed in sensu tamen explicando artem haud spernendam declarant, quam ab accuratiore graecae linguae scientia nihil adiumenti habuisse iure dolemus.

---

70) Vorles. über d. Briefe P. an d. Gal. und Ephes. herausg. v. Ch. F. Kling. Tubing. 828. 8.

VERSIO LATINA.

Cap. I.

Paulus apostolus non ab hominibus nec per hominem, sed per Jesum Christum et Deum patrem, qui eum e mortuis revocavit, et qui mecum (*sunt*) fratres omnes ecclesiis Galatiae; gratia vobis et pax (*contingat*) a Deo patre et domino nostro Jesu Christo, qui semetipsum tradidit (*supplicio*) pro peccatis nostris, ut liberaret nos ex pravo hoc seculo secundum voluntatem Dei patris nostri, cui (*sit*) gloria in aevum sempiternum.

Miror, vos tam cito ab eo, qui vos vocavit Christi beneficio, traduci ad aliud evangelium; quod non est aliud, nisi sunt qui vos conturbent et pervertere studeant Christi evangelium. At si vel nosmetipsi (*ego*) aut angelus de coelo (*delapsus*) vos de Messia instituerit secus atque nos instituimus, diris ille devotus esto. Quemadmodum (*modo*) diximus et nunc iterum dico, si quis vos doceat praeterquam quod accepistis, diris devotus esto. Nunc enim homines (*mihi*) conciliare studeo an Deum? hominibusne placere cupio? Si etiam nunc hominibus placerem, Christi minister non essem.

Declaro autem vobis, carissimi, doctrinam messianam, quae a me traditur, non esse humanam. Neque enim ego

ab homine accepi illam aut didici, sed per Christi institutionem singularem; audivistis enim qualem me olim Judaeus gesserim, quam cupide ecclesiam Dei persecutus fuerim et *quasi* populaverim. Multos tum aequales in gente mea ardenti disciplinae judaicae studio superavi, acerrimus quippe traditionum patriarum propugnator. At cum Deo, qui a matris inde utero segregaverat me et, quae est eius benignitas, vocaverat (*ad religionem christianam tradendam*), de filio suo me instituere placuisset, ut eum gentibus nunciarem, illico, nihil curans humana studia, (*nemine mortalium in consilium adhibito*) non Hierosolyma ad superiores apostolos profectus sum sed in Arabiam discessi, posthac vero Damascum repetii. Tum triennio exacto Hierosolyma ad visendum Petrum profectus, quindecim cum eo dies consumsi, alium vero apostolorum non vidi, nisi Jacobum fratrem domini. Quae scripsi vobis, per Deum vera sunt, non mentior equidem. Deinde fines Syriae et Ciliciae adii, Christianis autem in Judaea coetibus de facie notus non eram: audiverant tantummodo, eum, qui olim ipsos persecutus esset, nunc dotrinam, quam olim everteret, tradere, atque idcirco collauderunt Deum.

Cap. II.

Deinde interiectis quattuordecim annis iterum profectus sum Hierosolyma cum Barnaba, assumto etiam Tito. Profectus autem sum divino monitu iisque (*Hierosolymitanis*) exposui doctrinam, quam inter gentes trado, privatim autem principibus, ne frustra currerem aut cucurrissem. Sed neque Titus comes meus, quanquam (*natione*) Graecus, circumcidi coactus est, propter falsos autem fratres irreptitios (qui furtim irrepserant libertatem nostram, quam habemus ut Christiani, speculaturi, ut

servituti [*legis*] nos addicerent), — quibus ne paulisper quidem cedendo nos submisimus, ut doctrinae *divinae* veritas vobis (*penes vos*) maneret (*incorrupta*). Principibus vero (qualescunque demum erant, id nihil ad me, Deus enim externa hominis non curat) principes, inquam, nihil (*novi*) mecum communicarunt, imo cum vidissent, me paganorum institutionem concreditam (*divinitus*) habere, quemadmodum Petrus Judaeorum (etenim qui in Petro hoc egit, ut Judaeos instituat, is in me quoque ut paganos erudiam) et cum cognossent gratiam (*divinam*) mihi concessam, Jacobus et Kephas et Joannes, qui ecclesiae columina habentur, dextra mihi et Barnabae data consenserunt, nos ut gentibus, ipsi vero circumcisis (*doctrinam divinam traderent*), hoc unum (*rogantes*) ut pauperum memores essemus, id quod diligentissime etiam perfeci. Cum vero Petrus Antiochiam venisset, praesens praesenti restiti, quod reprehensionem incurrerat. Nam priusquam venirent aliquot a Jacobo, cum paganis epulatus erat, posteaquam autem venerunt, subduxit se et seiunxit ab illis, Christianos e Judaeis veritus. Atque in huius simulationis societatem concesserunt etiam reliqui Judaei (*Christiani e Judaeis*), ita ut ipse Barnabas ad eandem simulationem abriperetur. Sed cum viderem, eos veritati doctrinae non convenienter agere, dixi Petro audientibus omnibus, si tu, qui Judaeus sis, paganorum more (*neglecta lege mos.*) vivis, non Judaeorum: quid paganos cogis judaice vivere? Nos natalibus Judaei nec e gentilibus profani, intelligentes, neminem *legis* operibus sed fide Christo habita (*Deo*) probari, nosmetipsi, inquam, Christo fidem adhibuimus, ut propter fidem Christi probaremur, non propter opera legis, quod (*ut est in literis sacris*) *nemo mortalium probabitur* (*Deo*) *propter legis opera.* Si vero per Christum

probari cupientes, ipsi etiam peccatores deprehensi sumus, nonne Christus peccatorum minister? quod absit! Etenim si quae destruxi, ea denuo instauro, peccatorem memet declaro. Ego enim per legem legi mortuus sum, ut Deo viverem. Una cum Christo in crucem *quasi* actus sum, vivo autem non amplius ego, sed vivit in me Christus; quod autem nunc vivo naturaliter, fide Christi, qui me amavit seque pro me tradidit (*supplicio*), vivo.

Cap. III.

O dementes Galatae, quis excantavit vos (ut veritati non obtemperaretis)? quippe quibus Christus cruci affixus ante oculos propositus (*depictus*) sit, nempe in animis. Hoc solum a vobis discere cupio, per legis obsequium spiritum acceperitis an per institutionem ad fidem? adeone dementes estis, ut a spiritu exorsi, nunc in carne desinatis? Tam multa experti estis frustra? Siquidem frustra. Igitur qui vos spiritu large impertiit multaque in vobis operatus est mirabilia, propter legis obsequium an propter fidem (*hoc fecit*)? quemadmodum Abrahamus fidem habens Deo, eam ob caussam probatus est ei. Cognoscite igitur, eos, qui fidem habeant, esse Abrahami posteros. Iam cum praevideret scriptura, propter fidem gentes Deo probatum iri, hanc Abrahamo dedit promissionem: *in te beatae reddentur omnes gentes:* itaque qui fidem habent, beati redduntur cum Abrahamo fidei studioso. Quotquot enim legis operibus student, ii poenis obnoxii sunt, nam scriptum est: *poenas luet quicunque non in omnibus his, quae in libro legis scripta sunt, permanserit*, parendo iis. Neminem vero propter legis studium Deo probari, apparet, quod (*nam*): *probus per*

fidem vivet. Atqui legi nihil cum fide, sed *qui his* (*praeceptis*) *obsecutus fuerit, is vivet per ea.* Christus nos redemit a legis poena, utpote ipse pro nobis poenas luens; scriptum enim: *poenam luit, quicunque de patibulo suspensus est,* ut gentibus promissa Abrahamo felicitas per Christum Jesum contingat, quo promissum spiritum nanciscamur per fidem. Carissimi (populariter loquar) tabulas hominis (*lege*) sancitas nemo solet aut rescindere aut superaddendo corrumpere. Abrahamo autem factae sunt promissiones eiusque proli: non dicit *prolibus* [1]) tanquam de pluribus, sed tanquam de uno: *proli tuae,* qui est Christus. Hoc autem dico, foedus a Deo sancitum ad Christum (*spectans*) lex 430 annis post lata non tollit, promissionem irritam reddendo. Nam si ex lege (*oritur*) salus, iam non e promissione; atqui Abrahamo promissionis vi a Deo contigit (*gratis*). Quorsum igitur lex? peccatorum gratia insuper accessit, usque dum venisset proles, cui promissum fuit, lata per angelos interpretis ope. Interpres autem non est unius (*partis*), Deus vero unus (*una pars*) est. Itane lex adversatur promissis divinis? Absit. Si enim lex data esset, quae hominibus vitam praeberet, profecto ex lege (*oriretur*) probitas. Verum conclusit scriptura omnia peccatis, ut promissio (promissa felicitas) per fidem in Jesu Chr. contingeret fidem habentibus. Sed antequam veniret fides (*doctrina de fide*) legi obstricti servabamur fidei, quae ventura esset. Itaque lex paedagogus nobis erat usque ad Christum, ut per fidem probaremur. Postquam vero venit fides, non amplius paedagogo subiecti sumus. Omnes enim (*nunc*) filii Dei estis per fidem Jesu

---

1) Colum. R. R. 10, 163.

Chr. habitam. Quotquot enim baptizati estis in Christum, hunc (*veluti*) induistis. Non est amplius Judaeus aut Graecus, non est servus aut ingenuus, non est mas aut femina, omnes enim vos in unum (*quasi*) coaluistis, Christo Jesu quippe addicti. Si vero vos Christi (*estis*), Abrahami etiam estis proles et promissionis vi heredes (*felicitatis promissae*).

Cap. IV.

Dico autem, heredem, dum puer sit, nihil differre a servo, quanquam omnium dominus est; sed paret ducibus et dispensatoribus usque ad tempus a patre constitutum. Ita etiam nos, cum pueri essemus, elementis quasi mancipati fuimus. Postea quam vero tempus (*divinitus constitutum*) praeteriit, legavit Deus filium suum, natum e muliere legique et ipsum subiectum, ut eos, qui legi parerent, redimeret, quo filiorum iura consequeremur. Cum vero sitis filii, imbuit Deus spiritu filii sui animos vestros, quo precemini: abba h. e. pater. Itaque non es amplius servus, sed filius, iam si filius, etiam heres Dei per Christum. Sed tum quidem, ignorantes Deum, serviistis Diis, qui natura nulli essent. Nunc vero postquam Deum cognovistis vel potius cogniti estis a Deo, unde fit, ut rursus vos convertatis ad infirma et inutilia elementa, quibus denuo servire vultis? Dies observatis, et menses et tempora et annos. Vereor ne forte frustra laboraverim in vobis (*erudiendis*). Similes estote mihi, quemadmodum ego vobis; carissimi, oro vos, nullam mihi iniuriam fecistis. Nostis autem, me corpore afflicto nuper vobis doctrinam div. tradidisse. Neque tamen hanc corporis imbecillitatem contemsistis

aut respuistis, sed ut angelum Dei excepistis me, ut Christum Jesum. Quae fuit tum congratulatio! Testor, vos, si fieri posset, oculos evulsos mihi daturos fuisse. Itane inimicus vobis factus sum vera dicendo? Ambiunt vos non honeste sed excludere (*a me*) volunt, ut ipsos ambiatis. Honestum est ambiri in re honesta semper, non solum me praesente, o filii mei, quos iterum parturio, donec Christus in vobis *quasi* formetur. Vellem iam apud vos esse, vocemque meam variare, etenim quomodo vos tractem dubito. Dicite mihi, qui legi subesse cupitis, legem non auditis? Scriptum enim, Abrahamum duos filios habuisse, unum e serva, ex ingenua alterum, sed illum, qui ex serva, progenitum esse secundum naturam, hunc autem, qui e libera, vi promissionis. Quae quidem sublimiorem hunc sensum habent. Duo sunt istae foedera, unum Sinaiticum illud servos procreans, quae est Hagar, Hagar enim Sina mons est in Arabia, respondens Hierosolymis, qualia nunc sunt; servit enim una cum liberis. Hierosolyma autem supera libera sunt, quae est mater nostrûm (omnium). Scriptum enim: laetare sterilis prolisque expers; rumpe vocem iubilaque tolle, quae non enixa es, nam plures erunt desertae quam eius, quae maritum (*sibi*) habet, filii. Nos autem, carissimi, Isaaci exemplo filii sumus promissi. Sed quemadmodum tunc, qui secundum naturam natus erat, vexavit eum, qui vi divina: ita nunc quoque. Verum quid legitur in libris sacris? eiice servam cum filio; neque enim heres erit servae filius una cum filio liberae. Ergo, carissimi, non sumus servae filii sed liberae.

Cap. V.

In ea igitur, in quam vos Christus vindicavit, libertate persistite, nec denuo servili iugo vos implicari patiamini. En ego Paulus dico vobis, si circumcisi fueritis, nihil vos iuvabit Christus. Profiteor autem denuo, omnem hominem circumcisum universam legem servare debere. Defecistis a Christo, quicunque lege (*Deo*) probari vultis, gratiâ excidistis. Nos enim spiritu per fidem spem favoris *divini* exspectamus. Penes Christum enim nihil valet circumcisio aut praeputium, sed fides, quae amorem gignit. Currebatis bene, quis vos inhibuit, quominus veritati obsequeremini? Persuasio vestra non erat (*profecta*) ab eo, qui vos vocavit. Paululum fermenti totam massam fermentat. Equidem de vobis domino confido, fore, ut non secus sentiatis. Verum iste, qui vos conturbavit, poenam suam luet, quisquis est. Ego autem, carissimi, si circumcisionem adhuc commendo, quid etiamnum vexor? Ita quae in cruce est offensio sublata esset. Utinam qui vos sollicitant, etiam exsecentur. — Vos enim in libertatem vindicati estis, carissimi, modo (*cavete*), ne libertatem (*convertatis*) in libidinis irritamentum, sed amore mutuo alius alii servite. Tota enim lex in hoc uno absolvitur: diliges alios pariter atque te ipsum. Si vero mordetis vos invicem et devoratis, videte, ne mutuo consumamini. Hoc mihi volo, spiritu ducimini atque ita libidinem, quae in corpore inest, non sectabimini. Libidinis enim studia adversantur spiritui, spiritus autem (studia) libidini, haec invicem sibi contraria sunt, ne, quae velitis, ea perficiatis. Si vero spiritu ducimini, non estis legi subiecti. Manifesta autem sunt libidinis studia, velut adulterium, scortatio, immundities, lascivia, idololatria, veneficium, simultates,

rixae, odia, irae, contentiones, dissidia, sectae, invidiae, caedes, ebrietates, comessationes atque his similia, quae qui sectentur, eos nunc dico, quemadmodum alio tempore dixi, non posse divino regno potiri. Spiritus autem fructus sunt caritas, gaudium, concordia, clementia, benignitas, beneficentia, fides, lenitas, continentia: his talibus lex non adversatur. Verum, qui Christi sunt, libidinem una cum affectibus et cupiditatibus in crucem *quasi* egerunt. Quodsi spiritu vivimus, spiritum etiam factis exprimamus. Ne vanam gloriam captemus, invicem nos lacessentes nobisque invidentes.

Cap. VI.

Carissimi, si quis ante deprehensus fuerit in aliquo delicto, vos, qui spiritu gaudetis, eum comiter corrigite, caventes, ne vos quoque (*ad prave facta*) abripiamini Invicem onera (*vitia*) ferte atque ita legi Christianae satisfacite. Nam si quis sibi aliquid esse videtur, qui nihil sit, se ipsum decipit. Suum quisque opus exploret atque ita sibi, non aliis gaudendi materiem habebit; nam suum quisque onus portabit. Qui institutus est ad doctrinam (*divinam*), magistrum in omnium bonorum communionem assumat. Ne decipiamini, Deus sibi illudi non patitur: quam enim quis sementem fecerit, eam metet. Qui in libidinum *quasi agro* severit, is inde metet interitum, contra qui in spiritus severit *agro*, is inde metet vitam aeternam. Bene faciendo ne defatigemur; in tempore enim metemus non deficientes. Itaque, cum opportunitate utamur, nobis invicem, maxime vero his, qui religionis sunt socii, benefaciamus. Videte quantis ad vos literis scripserim mea manu. Qui externa specie placere

cupiunt, hi vos circumcidi iubent, ne cruce Christi vexentur. Neque enim ipsi, qui circumciduntur, legem observant, sed volunt vos circumcidi, ut a vestro corpore gloriandi materiem sumant. A me vero longe absit alia quadam re gloriari quam cruce domini nostri Jesu Christi, per quem et res terrenae in crucem mihi actae sunt, et ego illis. Penes Christum enim nec circumcisio valet nec praeputium, sed nova creatura. Et qui hanc regulam sequuntur, iis pax *contingat* et gratia (*divina*) tanquam veris Israelitis. Ceterum nolite mihi negotia facessere, nam equidem signa Christi in corpore gero. Gratia domini nostri Jesu Chr. animis vestris, carissimi, adsit.

ANNOTATIO PERPETUA.

SECTIO PRIMA.

CAP. I. v. 1—10.

Inscriptio et salutatio v. 1—5. Dolet, Galatas tam cito a doctrina sua, quae esset unice vera, descivisse 6. ac falsis magistris, quorum artibus hoc effectum est, diras imprecatur 7—9. seque divinae causae unice studere ostendit 10.

V. 1. οὐκ ἀπ' ἀνϑρ. - - - ἀνϑρ.] *Non ab hominibus* sed a Deo (cf. ἀποστέλλεσϑαι ἀπό τιν. von jem. her Act. 10, 17.), *neque per hominem* sed per Jesum Christum. Patet igitur, quomodo P. in hanc vocum varietatem, quae alibi non occurrit, deductus fuerit: voluit enim in exordio eius epistolae, cuius magna pars in vindicanda dignitate ipsius apost. versatur, *omnem* humanae auctoritatis sive propioris et immediatae (διά) sive remotioris (ἀπό) cogitationem a suo munere removere. v. Erasm. ad h. l. (mox tamen διά, brevitate dicendi usus, de utroque dixit cf. 1 Cor. 1, 9.). *Christum* autem et *patrem* fere semper iungit, ubi de muneris apostolici rationibus loquitur v. Eph. 1, 1. ἀπόστολος Ἰησ. Χρ. διὰ ϑελήματος ϑεοῦ, add. Col. 1, 1. 2 Tim. 1, 1. 1 Cor. 1, 1. 2 Cor. 1, 2;

1 Tim. 1, 1. ἀποστ Ἰ. Χρ. κατ' ἐπιταγὴν θεοῦ; Tit. 1, 1. δοῦλος θεοῦ, ἀποστ. δὲ Ἰησ. Χρ.; quod vero Christum h. l. praeponit Deo, id non videbitur tibi mirum reputanti, in Christo propiorem (unmittelbar), in Deo remotiorem vocationis apost. causam fuisse, nec istam Dei vocationem Paulo contigisse nisi per Christum. — ἐγειρ. α. ἐκ νεκρ.] — *atque ita filium suum ecclesiaeque moderatorem declaravit.* Etenim in reditu Jesu e mortuis luculentissimum divinitatis eius documentum contineri recte existimarunt Apostoli ad unum omnes Rom. 1, 4. 4, 24. Act. 5, 30. al. [2]) atque inde suam ubique institutionem orsi sunt Act. 1, 22. 4, 33. Sine ἀναστάσει Christi nulla ecclesia, nullus apostolatus. — V. 2. ἀδελφοί sunt muneris apostolici socii, itinerumque comites 1 Cor. 1, 1. 2 Cor. 1, 1. 1 Thess. 1, 1. Phil. 4, 21. cf. infra 2, 3.; ad rem ipsam v. Act. 19, 22. 20, 4. Quod simpl. scribit τοῖς ἐκκλ. τῆς Γαλ., non adiecto caritatis honorisve vocabulo (ut in reliquar. epistolar. exordiis), hoc ipsum subirati animi indicium visum est antiquis interpretibus, nec iniuria. — V. 4. δόντ. ἑαυτ. ὑπὲρ κτλ. i. e. *qui sponte supplicium in se suscepit, morti sese tradidit* pro *peccatis nostris* cf. Tit. 2, 14. 1 Macc. 6, 44. add. Dion. Cass. 54, 13. Pro ὑπέρ, quod ap. Chrysost. etiam et Cyrillum legitur, in bonis libris (ADEFG) et ap. Origen. et Oecum. est περί (propter *peccata n.*) ex frequenti horum praeverbiorum in codd. permutatione (v. Matthiae ad Eurip. Orest. 1303.) cf. 1 Petr. 3, 18. περὶ ἁμαρτιῶν ἔπαθε, Hebr.

---

2) Nescio an Calvinus argutetur. Is enim: vilipendebant, inquit, Paulum, quod non fuisset in terris cum Chr. versatus; contra significat, Christum, sicuti per resurrectionem glorificatus est, ita vere demum exeruisse potentiam suam in regenda eccl. *Ergo plus dignitatis habet P. vocatio, quam si a Chr. adhuc mortali fuisset ordinatus.* — Sed assentitur tamen Semlerus.

10, 26. 13, 11. Atque hoc ipsum textis intulit Matthaeius. Sed non puto, περί ut difficilius aliquod voc. librarios ita offendere potuisse, ut cum ὑπέρ commutarent, quanquam al. fere legitur ὑπὲρ ἁμαρτιῶν 1 Cor. 15, 3. Hebr. 5, 1. 7, 27. 10, 12.; nec ex Syr., qui ܡܛܠ vertit, quidquam proficies cf. Hebr. 5, 1. 10, 26. Cet. de discrimine vocum περί et ὑπέρ v. Schaefer ad Demosth. I. p. 189 sq. — ὅπ. ἐξέλ. cet. *ut nos liberaret ex eo, quod nunc agitur, seculo pravo.* ἐνεστώς int. de praesenti tempore (cf. Syr., Ar. et Aeth.) ut Rom. 8, 38. 1 Cor. 3, 22. add. Polyb. 5, 67. 4.; praesens autem sec. est *pravum* (ἐν τῷ πονηρῷ κεῖται 1 Jo. 5, 19.) h. e. pravis studiis a numine abalienatum, opp. *futuro*, quod Deo unice vivit. *Huic* Chst. nos addixit, a peccatis ad divinae voluntatis obsequium revocans, cf. Ephes. 2, 3 sq. Theophyl. non male: ἔδωκ. ἑ. ὑπ. τ. ἁμ. ὑ. τουτέστιν ἠλευθέρωσεν ἡμᾶς τῶν προγεγονότων πταισμάτων - - καὶ πρὸς τὸ μέλλον ἀσφάλειαν ἔδωκεν, ἵνα ἐξέληται ἡμᾶς τῆς πονηρᾶς διαγωγῆς. ὁ νόμος δὲ οὔτε τὰ προγεγονότα ἁμαρτήματα ἐξήλειφεν, οὔτε πρὸς τὸ μέλλον ἐνίσχυε. Cet. medio ἐξαιρεῖσθαι apposite in hac caussa utitur. — καὶ πατρ *qui idem est pater n* (paternae enim caritatis documentum in illa ipsa re inest) cf. 1 Cor. 15, 24. 2 Cor. 1, 3. 11, 31. Eph. 1, 3. adde Jac. 1, 27. cet. cf. Progr. pentecost. Goett. 1810. 4. ἡ δόξα dicit praefixo artic. i. e. *gloria, quae ei* (propter hoc ipsum θέλημα) *unice debetur* Rom. 11, 36. 16, 27. Eph. 3, 21. Phil. 4, 20. 2 Tim. 4, 18. 1 Petr. 4, 11. Doxologiae vero caussam in hoc tali loco facile perspicies cf. 1 Tim. 1, 17. 2 Tim. 4, 18.

V. 6. μετατιθ *transferimini;* praesenti utitur (non praeterito, ut est ap. Stolzium), quod in eo adhuc erant Gal., ut a vera doctrina deficerent. μετατίθεσθαι saepe

est: ab alia ad aliam sententiam *se transferre* (ut bene Vulg.), consilium, mentem mutare (Appian. Civ. 2, 6.) 2 Macc. 7, 24. μεταθέμενοι ἀπὸ τῶν πατρίων νόμων, Jamblich. protrept. ad philos. c. 17. (p. 250. ed. Kiessl.) μεταθέσθαι ἀπὸ τοῦ ἀπλήστως - - ἔχοντος βίου ἐπὶ τόν κοσμίως add. Plutarch. adulat. p. 71. Spec. dic. de his, qui *desciscunt*, ab aliis ad alias partes transgrediuntur ut ap. Appian. b. hisp. 31. Diod. Sic. 11, 4. cet. v. Kypke ad h. l. et Ast ad Plat. Legg. p. 497. [3]). — καλ. ὑμ. etc. vel: ab eo, qui vos vocavit (ad sacra christiana suscipienda invitavit et adduxit) per Christi gratiam (Act. 15, 11. Rom. 5, 15.; ita Philox. Theophyl. al.) vel: a Christo, qui vos benigne, gratiose vocavit (ita Syr. Ambros. Calov. Bengel. all.). Illud magis placet, non tam, quod vett. libri in voce Χριστοῦ aliquantulum fluctuant (v. Whitby Exam. p. 261.) [4]), quam quod alibi homines vocare semper *Deus* dicitur, non Christus v. 15., Rom. 9, 24. 1 Thess. 2, 12. 5, 24. 2 Thess. 2, 14. 2 Tim. 1, 9. (nec in formula κλητοὶ Ἰησοῦ Χρ. Rom. 1, 6. contrarium invenire tibi videberis). Non audiendi sunt, qui ἐν χαρ dictum putant pro εἰς χαρ. (ut post Oecumen.

---

3) Hieron. ad h. l. „nec non et illud congrue, quod *translationis* verbum Galatis coaptatum est; Galatia enim *translationem* in nostra lingua sonat.“ In mente habuit גלה, נגלה. At hoc est longe repetitum; quare miror, Bertholdto etiam (Einleit. VI. p. 2788.) vanas has argutias probari potuisse. Syrum vero ταχέως בעגל interpretantem paronomasiae studio duci et ipsum, vix tibi persuadebis cf. Phil. 2, 19. al.

4) Scil. alii omittunt Χριστοῦ, alii habent θεοῦ; hinc concludit Semlerus, a Paulo nullum additum fuisse genitivum. Vereor, ut recte. Nam potuit haec omnis varietas a librariis etiam proficisci, quibus Χριστοῦ (ut in plurimis codd. legitur) offensioni esset.

Beza, Cramerus, de Wettius all.), quanquam sic per aliquam breviloquentiam scribi posse non negamus (1 Cor. 7, 15.; 1 Thess. 4, 7.? v. Palairet ad h. l.); multo vero minus, qui καλέσας de Paulo intelligunt, in qua opinione fuit Piscator. — V. 7. ὃ οὐκ ἔστιν ἄλλο cet.] *quod quidem* (sc. vos deficere a Christo) *non est aliud, nisi* cet., damit hat es keine andere Bewandtniss als (dass). Ita Arabs, Calvinus, Grotius, Calov., Hombergius, de Wettius cf. Origen. c. Marc. 1. p. 9. Alii, ut Beza, Cramerus, Kypkius: *quod* (evangel. Christi) *non est aliud, sed sunt* cet. Verum εἰ μή non potest simpl. (praesertim in novae sententiae exordio) *sed* verti, nec haec vocis significatio obtinet Mt. 12, 4. 1 Cor. 7, 17., quos locos attulit Wahlius. ταρασσ. h. l. dubitatione iniecta *perturbare* animum (Cic. Tusc. 9, 2.) 5, 10. 1 Petr. 3, 14. Act. 15, 24. cf. Xenoph. Memor. 2, 6. 17. Galen. de puls. differ. 2. Dio Chrysost. 23. p. 277. Plutarch. adv. Calot. c. 25. Arrian. Epict. 2, 22. 6. — θελ. μεταστρ. *hoc agunt* (scientes) *ut pervertant* h. e. evertant (corrumpendo) v. Aristot. rhet. 1, 15. p. 58. ed. Lips. Ne articulo voci ταρασσ. praefixo offendaris, reputa, duas inter se mixtas esse structuras: nam τινές εἰσιν οἱ ταράσσοντες ὑμᾶς dictum videtur pro: εἰσ. ταρ. ὑμ., καὶ οὗτοι (οἱ ταρ. ὑμ.) εἰσί, τινες, *sunt, qui vos perturbent; ii vero aliquot*, pauci *duntaxat sunt.* Sim. locum habes ap. Dion. Chrys. 39. p. 488. τινὲς ἦσαν οἱ σφόδρα ὀδυρόμενοι τὸ τοῦ δεῖνος cet. cf. p. 482.

V. 8. Quod in plurimis libris scriptum est ἐὰν εὐαγγελίζηται, id noli sollicitare, quanquam alii habent εὐαγγελίσητε (quod nescio an emendatorem sapiat) alii εὐαγγελίζετε (Indicat. cum ἐάν copulatur etiam Jo. 5, 15. v. Hermann ad Vig. p. 822.) Origen. (c. Marc. 1. p. 9.) memoriter haec vv. sic attulit: εἴ τις ὑμᾶς εὐαγγελίσεται.

ἡμεῖς i. e. ego Paulus v. Rom. 3, 8. 2 Cor. 1, 10. — παρ' ὃ *contrarium illi*, cf. v. 10. et simil. loc. Rom. 12, 3. ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν add. Plat. rep. 7. p 157. — De voc. ἀναθέματος v. Suicer. Thes. eccl. I, p. 268 sqq. edit. 3. Witsii Miscell II, p. 43 sqq. LXX. pro hebr. חֵרֶם (quod ipsum h. l. Syrus uterque habet) ponunt adeoque de re Jovae devota, quae redimi nullo modo poterat Lev. 27, 21. Jos. 6, 18. 19 Ezech 44, 29., imo interdum exitio dari atque sic a Jovae aspectu quasi removeri debebat Deut. 7, 26. Jos. 6, 17. coll. 24. Recte igitur Hesych. ἐπάρατος, ἀκοινώνητος, Cyrill. ap. Valckenaer. (Selecta e scholis V. I, p. 259.) ὁ ἀπὸ θεοῦ χωρισμός. Propr. non differt ἀνάθεμα (quod ap. graecos scriptores semel duntaxat occurrit Plutarch. Pelop. c. 25., improbante tamen Lobeckio) ab ἀνάθημα, nisi quod ista voc. forma recentioribus fere scriptoribus propria est (cf. εὕρημα et εὕρεμα Thom. Mag. ed. Bernard. p. 393., πρόςθεμα et πρόςθημα Phryn. ed. Lobeck. p. 249.) et ipsum illud ἀνάθεμα passim ap. posteriores eodem, quo Graecis ἀνάθημα (Luc. 21, 5. 3 Macc. 3, 17.) sensu legitur de *donariis* in Dei honorem suspensis 2 Macc. 2, 13. Theodoret. II, 1068. III, 1215. ed. Hal. Hinc Suidas ed. Küster I, p. 164. dicit, ἀνάθεμα et τὸ εἰς ἀφορισμὸν ἐσόμενον significare et pro ἀνάθημα poni.

V. 9. repetit eadem, ut solet in vehementiore sermone. ἄρτι h. l. de praesenti tempore *nunc, nunc ipsum* (dum haec scribo) ut 1 Cor. 13, 12. 16, 7. et passim ap. recentiores scriptor. v. Lobeck. ad Phryn. p. 20. — V. 10. ἄρτι sc. ex quo ad sacra christ. transgressus sum. Notat illud tempus, quo, vano rerum iudaicarum studio ductus, causae divinae adversatus fuerat v. 13 sq. ἀνθρ. πείθω ἢ τὸν θεόν] locus perdifficilis. Equidem denuo pensitatis singulis verbis ita explicuerim: *homines* (homi-

num assensum) mihi *conciliare studeo* (cf. Xenoph. Anab. 6, 1, 19. 7, 3, 7. v. Elmsley ad Eurip. Heracl. v. 1003. Herm. ad Soph. Ai. v. 1105. cet.) *an Deum* (Dei), suche ich Menschen oder Gott zu gewinnen? *an hominibus placere cupio* (strebe ich darnach, Menschen gefällig zu seyn?) Hoc dicit P.: in iis, quae ago, non hominum (ut olim) sed Dei assensus mihi curae cordique est, longissime vero abhorreo ab ista temeritate, quae hominum gratia divinam doctrinam corrumpat (aliter enim τὸ ἀρέσκειν ἀνθρώποις in hac certe causa non potest cogitari). Tantum abest, ut hominum gratiam, depravanda veritate, ambitiose secter, ut nihil omnino hominum favorem respiciendum existimem. Apparet igitur tum quid discriminis sit inter πειθ. ἀνθρ. et ἀρέσκ. ἀνθρώποις, tum cur v. 6. in form. ἀρέσκ. ἀνθρ. paullulum persistat (v. seqq.). Ceterum tautologiae species, quae in his sententiis inesse videbatur, movit interpretes (antiquiores dico; nam recentiores fere intactam reliquerunt loci difficultatem), ut contorte admodum istud πείθειν interpretarentur. Calvinus enim ante ἀνθρ. et θεόν interponendum censet κατά. Piscator vero hunc sensum esse dicit: *utrum vobis suadeo, ut hominibus credatis, an ut Deo?* (cf. Act. 28, 23. πείθειν τὰ περὶ τοῦ Χριστοῦ); nec ab hac sententia multum abhorret Cramerus: sind es Lehren von Menschen oder Lehren von Gott, von denen ich die Menschen zu überzeugen suche?[5]) Sed quanquam passim dicitur πείθειν τινά τι (Xen. Hier. 1, 16.), cum duplici tamen accus. *pers.* legere me non memini, nec istam orationis duritiem in P. epistolas invexerim. — ἤρεσκ. *placerem* (ut nuper

---

5) Tale quid in mente habuisse videtur etiam Aethiops, vertens: *etiam nunc homines profitebimur an Deum?*

Judaeis eorumque proceribus Act. 8, 3.) non: *placere studerem* (Rom. 15, 2. 1 Cor. 10, 33. v. Wetsten. ad h. l.). Ita recte Hieron. Quod vero post εἰ legitur γάρ ex praestant. codd. A D * F G. et versionum vulg. (Ambros.) copt. armen. auctoritate omitti debere non dubito; eiusmodi enim particulae persaepe ad complendam orationem interpositae sunt a librariis. Asyndeton h. l. satis accommodatum ad animi commotionem, quae in P. fuit.

SECTIO SECUNDA.

CAP. I. v. 11—24.

Ostendit, suam se doctrinam Christo unice debere v. 11. 12., inter omnes enim constare, quam atrox ipse fuerit disciplinae iudaicae propugnator v. 13. 14., hoc autem studio abiecto, quanquam semel apostolos aliquot convenisset, tamen nihil se ab iis institutionis accepisse v. 15—20. quin immo ne notum quidem de facie fuisse christianis in Judaea coetibus 21—24.

V. 11. Pro δέ in nonnullis libris est γάρ (v. de frequenti harum voc permixtione Porson. ad Eurip. Med. p. 19. 27. 101. ed. Lips., Schaefer ad Dion. p. 194., Schweighäus. ad Arrian. Epict. 1, 9. 2. 2, 4. 2. Jacobs. ad Achill. Tat. p. 861. Monk. ad Eurip. Hippol. 876. cf. infra 5, 17.); utrumque in tali sententiarum connexione ferri potest, sed haud scio, an librarius elegantiae studiosus δέ pro γάρ, quod v. 10. bis legitur, intruserit. τὸ εὐαγγ. non sine vi praemittitur sententiae. — τὸ εὐαγγ. ὑπ' ἐμ. opp. τῷ εὐαγ. ἑτέρῳ v. 6., εὐαγγέλιόν μου vocat

Rom 14, 24. — οὐ κατὰ ἄνθρωπ. vel *non secundum hominem* h. e. tale quod humanis et ingenio et studiis conveniat (v. 10) vel i. q μεῖζον, βέλτιον ἢ κατ' ἄνθρ. h. e. maius et praestantius, quam quod in hominem cadat atque adeo ab ingenii humani viribus repeti queat cf. Plat. Apol. c. 5. Dio Cass. 66, 20. κατά enim saepe dic. de modo virium, quibus quis pollet. Utraque explicatio admitti potest in hac sententiarum continuatione; priorem si optas, sequentia hoc sensu adduntur: quod ab homine proficiscitur, id accommodatum esse solet ad eius studia voluntatesque; mea vero institutio non blanditur humano ingenio, propterea quod non est humanae originis. Posteriori interpretationi favent Syr. Theodoret. multique alii; non renitor omnino, modo ne credas, in ipso praeverbio κατά inesse *originis* notionem; haec nec in formulis εὐαγγ. κατὰ Μάρκον rel. nec loco Polybii, quem Raphelius attulit, deprehenditur [6]. οὐδε γὰρ ἐγὼ cet. *neque enim ego* s. *nam ne ego quidem ab homine accepi illud* cet. Cf. Phil. 4, 9. ἃ καὶ ἐμάθετε καὶ παρελάβετε καὶ ἠκούσατε rel. Cic. pro Mil. 4. *didicimus, accepimus, legimus.* Si quid discriminis statuendum παραλαμβ. inter et διδάσκεσθαι, illud de doctrina dicitur, quae integra et consummata a magistro traditur, hoc de institutione, qua quis ut ipse singula meditando inveniat, edocetur, v. Hieron ad h. l. nec non Bengel. De praepos. παρά verbo παραλαμβ. adiecta v. quae disputavit Schulthess. v. Abendm. p. 6 sq. Pro οὔτε ἐδιδάχθ. aliquot libri haud spernendi habent οὐδέ (quae est solennis admodum variatio cf. Xenoph. Anab. 1, 4, 8. 4, 8, 3. Eurip. Hip-

---

6) Multo minus 1 Cor. 9, 8. 12, 8., quos locos Flattius adhibet.

pol. 75.); sed quo istud modo ferri possit v. Grammat. p. 436. — δι' ἀποκ. 'Ι. Χρ. h. e. singulari modo a Christo ipso institutus sum ad doctrinam divinam; nam 'Ιησοῦ Χρ. esse genitivum subiecti, apparere videtur ex 2 Cor. 12, 7.; sed vide, quae monuimus in libro: bibl. Realwörterb. II. p. 215. add G. Schubert de variis, unde P. doctrinae christ. cognitionem haurire potuerit, fontibus, c. D. Schulzii epist. Vratisl. 1817. 4.

V. 13. ἀναστροφήν ποτε ita fortasse scribendum pro eo, quod libri editi habent, ἀναστροφὴν ποτὲ [v. Buttm. ausführl. Gr. I. p. 61.] i. q. ἡ πρότερα ἀναστροφή Ephes. 4, 22. vel ἡ ποτὲ ἀναστρ. cf. Jo. 9, 13., quanquam ποτέ etiam ad ἠκούσ. referri potest. ἀναστρ. de (*vivendi*) *agendi ratione* sexcenties dic. hoc v. ap. nostros Eph. 4, 22. Jac. 3, 13. 1 Petr. 1, 15. 2 Petr. 2, 7. al. (LXX. ἀναστρέφεσθαι ponunt pro הִתְהַלֵּךְ Prov. 20, 8.). Graeci usque ad Polyb. ignorant fere hunc voc. usum; sed v. Polyb. 4, 82. 1. add. Wesseling de Judaeor. Archontt. p. 14. — καθ' ὑπερβ. solennis Pauli formula pro σφόδρα 1 Cor. 12, 31. 2 Cor. 4, 17. Rom. 7, 13. cf. Athen. 3, c. 16. Diod. Sic. 1, 83. 48. Polyb. 3, 92. 10. Plutarch. Amat. narr. p. 773. al. De re ipsa v. Act. 8. 9. 1 Cor. 15, 9. — ἐκκλ. τοῦ θεοῦ appellatione potissimum utitur, ut summam criminis a se commissi atrocitatem declaret. Eandem φράσιν v. 1 Cor. 15, 9. add Act. 22, 19. 26, 10 sq. Theophyl. ὅρα πῶς ἕκαστον μετὰ ἐπιτάσεως τίθησιν. οὐ γὰρ εἶπεν, ἐδίωκον, ἀλλὰ μεθ' ὑπερβ. πάσης. καὶ οὐ μόνον τοῦτο ἀλλὰ καὶ ἐπόρθουν τουτέστι κατασκάψαι ἐπεχείρουν καὶ ἀφανίσαι. — πορθεῖν non est h. l. *evertere*, nec, quod multis placuit, *evertere studere* (sic imperfect. de *conatu* dictum esset v. Gramm. p. 241.), sed potius *vastare* (quae est solennis voc. potestas) sc. multis Christianis ad supplicia adducendis cf. Act. 9, 21.

8, 3. Syr.: חרב Luther. infra etiam v. 23. bene: den Glauben *verstören*. cf. Piscator et Calov. ad h. l. Bengelius non male: *vastabam*, hoc plane contrarium *aedificationi* notat.

V. 14. προκόπτειν translate dicuntur hi, qui proficiunt, progressus faciunt in aliq re Marc. Anton. 1, 14. Xenoph. Hell. 7, 1. 6. Polyb. 27, 8. 14. Simplic. ad Epictet. c. 18.; προκ. ὑπέρ *progredi, progressus facere super aliq.* est vincere, superare aliquem. Post συνηλ. versiones antiquae fere omnes adiiciunt pron. *mei;* sed hoc ex more fit istorum interpretum, nec inde concludes, hoc voc. unquam lectum esse in libris graecis. — γένος h. l. de *gente,* ut Marc. 7, 26. Act. 4, 36. 2 Cor. 11, 26. Phil. 3, 5. add. Aelian. V. H. 1, 34. Diod. Sic. 1, 19. Ita et *genus* dicunt poetae latini Virg. Aen. 5, 285. Frustra sunt, qui *sectam Pharisaeorum* significari putant (cf. tamen Plutarch. de Isid. p. 354.). — ζηλωτής est, qui cupide aliquid sectatur, qui acri fertur studio rei aut consequendae aut tuendae 1 Cor. 14, 12. Tit. 2, 14. add. Polyb. 10, 25. 2. Dion. Hal. Ep. 3, 11. Diod. Sic. 1, 73. extr. — πατρ. παραδ. *patriarum mearum* (praesertim cum filius Pharisaei essem Act. 23, 6.) *traditionum.* παράδ. (hebr. קַבָּלָה) h. l. late patere et omnem disciplinam Judaeorum sacram, tum illam, quae in libris sacris perscripta, tum hanc, quae doctorum studiis paullatim addita erat (τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων Mt. 15, 2. Mr. 7, 3. cf. νόμιμα ἐκ πατέρων διαδοχῆς Joseph. Antt. 13, 10. 6.) complecti videtur v. Act. 26, 4 sq. Adstipulantur Grotius et Calixtus. Itaque ζηλωτ. τ. παραδ. est i. q. ζηλωτὴς τῶν νόμων 2 Macc. 4, 2., ζηλ. τοῦ νόμου Act. 21, 20. — V. 15. ἀφορίζ. solenne hac in re vocab. Act. 13, 2. cf. Jerem. 1, 5. Inde est, quod Paulus se ipsum vocat ἀφορισμένον Rom. 1, 1.

V. 16. ἀποκαλ. ἐν ἐμοί. Cum alibi legatur ἀποκαλ. τινί (Mt. 11, 27. 1 Cor. 2, 10. Eph. 3, 5. Phil. 3, 15.), multi temere putarunt, ἐν ἐμοί dictum esse pro ἐμοί, sed v. Grammat. p. 195. Tu vertas *in me* h. e. in mente mea cf. Oecumen. Nec omnino assentior, si qui dicunt (ut nuper etiam Bretschneid. in Lex. cf. Blomfield ad Aeschyl. Agamn. 1425. ad Eurip. Med. 628.), ἐν passim in N. T. dativi indicem esse: nam 1 Cor. 9, 15. ἵνα οὕτω γένηται ἐν ἐμοί est, quod vernacule dicimus, dass so *an* mir geschehe (gethan werde), so mit mir verfahren werde, Act. 4, 12. ὄνομα - - δεδομένον ἐν ἀνθρώποις sic interpretare: *quod datum, propositum sit inter homines*, 1 Tim. 4, 15. ἵνα σοῦ ἡ προκοπὴ φανερὰ ᾖ ἐν πᾶσιν signif. vel: ut *inter omnes manifesta fiat* vel: *ut in omnib. rebus appareat,* 1 Cor. 14, 11. ὁ λαλῶν ἐν ἐμοὶ βάρβαρος est *meo iudicio,* ut sexcenties ap. Graecos. Alia v. Gramm. p. 195. Cet. quod Piscator et Grotius, praeeunte Pelagio, ἀποκ. ἐν ἐμ. vertunt: *per me cognitum facere voluit plurimis,* hoc et ipsum parum placet; ita enim occupantur, ut recte monet Bengelius, insequentia ἵνα εὐαγγ. etc. — εὐθέως pertinet, si sensum spectas, ad ἀπῆλθον v. 17., scil. Paulus, quae fuit eius alacritas, interponit negativam sententiam, quae ipsi in mentem venit. — προςαν. τινι alicui se h. e. caussam suam committere sc. tanquam consultori, aliquem in consilium adhibere Diod. Sic. 17, 116. Lucian. Jov. tragoed. 1. Hieron. bene: *non contuli cum* etc. Praeverbii πρὸς significationem artificiosius quam verius explicuisse videtur ad h. l. Bengelius. — σὰρξ κ. αἷμα (Mt. 16, 17., αἷμα κ. σάρξ Eph. 6, 12.), quae formula passim ap. Rabbinos (v. Lightfoot. ad Mt. l. c.), non item in V. T. legitur, significat hominem naturalem (cf. Hebr. 2, 14.), qualis sensuum arbitrio regitur. Itaque οὐ προςαν. σ. κ. αἵμ. est: non putavi naturalium studiorum et cupiditatum rationem habendam,

ich hörte nicht erst das Urtheil des sinnlich-natürlichen Menschen (neque meum neque aliorum). Al. *non adhibui quemquam mortalium in consilium*, paullo augustius, puto. Istum, quem dixi sensum, unus Aethiops expressit. Cet. inter ἀνῆλθον (quemadmodum edi solet) et ἀπῆλθον iam antiquitus fluctuasse videntur libri graeci, nec in tanta hor. vocc. similitudine dixeris, utrum a P. scriptum sit. — Ἀραβ. 7) De hoc autem itinere arab. nihil legitur in Actis (c. 9. coll. 22, 16 sq.) sed v. Kuinoel Comment. IV, p. 350. Caussas profectionis explicuit Michaelis ad h. l.

V. 18. μετ. ἔτη τρ. Computantur hi tres anni vel a discessu ex urbe Hierosol. adeoque a Pauli ad sacra christ. accessu (ita Pearson., Semler., Eichhorn., Einl. ins N. T. III, p. 24.) vel a reditu ex Arabia (ita Koppius et Borger). Quid nobis videatur explicuimus in Exc. 2. Venit autem P. Hierosolyma non discendi causa, sed ἱστορῆσαι Πέτρον. Sc. ἱστορ. sign. coram, de facie, accuratius aliquem cognoscere v. Joseph. b. iud. 6, 1, 8. (ἱστορῆσαι ἄνδρα), itaque plus inest quam in v. ἰδεῖν (v. Plutarch. Cic. c. 2.). Graecis, quod equidem sciam, *hoc* certe sensu non iungitur cum nominibus hominum, nisi huc trahere velis Plutarch. de genio Socr. c. 6. p. 578.; de rebus dic. Arrian. Epictet. 2, 14. Dion. Hal. de Thuc. 6, 2. Aliud est ἱστορεῖν τινα ap. Herod. 2, 113. 3, 51. Cet. de hoc itinere hierosol. cf. Act. 9, 26 sqq. — Pro Πέτρ. aliquot codd. bonae notae habent Κηφᾶν, quae lectio an Syri quoque auctoritate (cum Griesbachio) commendari possit, dubito; certe hic etiam 2, 7., ubi nullum varietatis vestigium, dedit כיפא, quod nom. lectoribus familiarius erat. Non temere autem suspicaberis, istud Κηφᾶς ortum esse ex patrum, qui Petrum Apost. ex

---

7) Quod ap. Arab. est البلقا (pro *Arabia*), an ex traditione quadam fluxerit, nescio.

hac criminosa narratione eximere volebant, studio v. ad 2, 11. Alia est loci 1 Cor. 15, 5. ratio. — ἡμέρ. δεκαπ. cur non diutius ibi manserit, patet ex Act. 9, 29. — V. 19. Ἰάκ. τ. ἀδελφ. τ. κυρ. Est haud dubie idem ille, cuius Act. 15, 13 sqq. 21, 18 sqq. et apud Joseph. Antt. 20, 9. 1. mentio fit. Hunc autem plurimi statuunt non diversum esse ab illo, qui Alphaei et Mariae filius dicitur v. Pelagius et Theophyl. ad h. l., Pott. Prolegg. in ep. Jac. p. 66 sq. Jam vet. ecclesiae patres accurate distinguunt Jacobum Alphaei a Jacobo fratre domini (Euseb. H. E. 2, 1. 23. Constit. apost. 2, 55. 6, 12. 14.), nec in verbis P., si attentius consideras, necessario inest, Jacobum ἀδελφ. κυρ. esse apostolum. Nam hoc dicere videtur: *sed alium* (praeter Petrum) *apostolum non vidi, praeterquam quod* (sed) Jacobum *vidi*, cf. Fritzsch. ad Matth. p. 482. [8]). Scil. repetendum tantummodo est εἶδον, neglecto illo τῶν ἀποστ. Finitimum illud Platon. in Gorg. c. 64. εὐδαιμονιζόμενος ὑπὸ τῶν πολιτῶν καὶ τῶν ἄλλων ξένων *a civibus et aliis peregrinis* pro: et aliis hominibus sc. peregr. v. Elmsley ad Med. Eurip. p. 128 sq. ed. Lips., Krüger ad Dion. Hal. p. 139. Contrarium habes Act. 5, 29. ὁ Πέτρος καὶ οἱ ἀπόστολοι v. Elmsley l. c. p. 276. Sed dubitari potest, an patres in hac caussa fidem mereantur; similia certe (quae multa sunt) non tam a vetere quadam traditione quam a locorum N. T. putida interpretatione profecta esse constat. Quidni enim potuerit Jac. ille Alphaei, cui propter eam, quae ipsi cum Jesu intercedebat, cognationem singularem Hierosolymitani auctoritatem tribuisse videntur, a suis honorifice *frater domini* appellari, etiamsi non esset frater germanus?

---

8) Praeiverat hanc explicationem Hessius in Gesch. d. Apost. II. p. 309. ed. 3.

V. 20. ἃ δὲ γράφ. ref. ad omnem hanc, quam a v. 12. persecutus fuerat, narrationem. — ἐνώπ. τ. ϑ. hebr. לִפְנֵי יְהוָה, iurisiurandi form. alibi non obvia i. q. μάρτυς μου ἐστὶν ὁ ϑεός Rom. 1, 9. Simil. Rom. 9, 1. 1 Tim. 2, 7. ἀλήϑειαν λέγω, οὐ ψεύδομαι. Neminem morabitur Bertholdtus (Einl. VI, p. 2789.), qui in v. ἰδού interpretis graeci vitium odoratus est. — V. 21. κλίμ. τ. Συρ. *Syriam* maritimam dicit, cui *Phoenices* nomen fuit Act. 9, 30. Ita etiam Mt. 4, 24. Act. 21, 3. Alii malunt, P. Caesareâ Tarsum pedestri itinere adiisse. — Κιλικ. v. Act. 9, 30. — V. 22. Ἰουδ. Judaea praeter Hierosol.; nam Hierosolymitanis, opinor, satis notus fuit. Atque sic saepius, ubi terra aliqua appellatur, separanda est urbs primaria coll. Act. 15, 13. Ἀντιοχ. καὶ Συρ. cf. Gesen. Commentar. in Jes. I, p. 147. — V. 23 διώκ. subst. ut nos: unser (ehemaliger) Verfolger; de hoc particip. praes. usu cf. Sophocl. Electr. 200. ἦν ὁ ταῦτα πράσσων, Pausan. 9, 25, 5. ὁποία ἐστὶν αὐτοῖς καὶ τῇ μητρὶ τὰ δρώμενα, Thuc. 2, 5. 3, 4. Diog. Laert. 1, 5. 5. al. v. Poppo ad Thuc. I, p. 152. Schaefer. ad Eurip. Orest. p. 70. E novo Test. addas si placet Apoc. 15, 2. — V. 24. ἐδόξ. ἐν ἐμοὶ vulgo *propter me*, בִּי. Sed pr. est: *in, an mir* h e. celebrant Deum, ut qui *in me* invenissent celebrationis materiem [9]. Oecumen. οὐκ εἶπεν ἐπῄνουν ἢ ἐδόξαζόν με ἀλλὰ τὸν ϑεόν, φησίν, ἐδοξ., ὅλον γὰρ τὸ κατ' ἐμέ, φησί, τῆς χάριτος ἦν τοῦ ϑεοῦ. Facete Theodor. μανϑάνοντες, ὅτι ὁ λύκος τὰ ποιμένων ἐργάζεται, τῆς εἰς τὸν ϑεὸν ὑμνῳδίας τὰ καϑ' ἐμὲ πρόφασιν ἐλάμβανον.

9) ἐν ubi cum personarum nomin. iungitur, significare *propter*, e N. T. doceri nequit, certe nemini fraudi erunt loci a Bretschneidero allati Rom. 2, 17. 2 Cor. 13, 4. Apoc. 14, 3. Etiam de rebus isto sensu non legitur nisi in paucissimis locis v. Gramm. N. T. p. 346.

SECTIO TERTIA.

CAP. II. v. 1—10.

Narrat de itinere Hierosolyma facto docetque, se Apostolorum, quibus institutionis suae summam proposuisset v. 1—3., assensum tulisse et erudiendorum paganorum provinciam divinitus sibi demandatum tuitum esse v. 3—10.

V. 1. διὰ δεκ. ἐτ. *interiectis* h. e. praeteritis *14 annis*. In hunc praepos. διά usum cf. Act. 24, 17. (nam Mt. 26, 61. noli cum Wahlio huc referre) Aristot. anim. 8, 15. Geopon. 14, 26. 2. 24, 23. 2., nec audiendi sunt, qui in hac voce argutantur. Istorum vero annorum computatio quomodo instituenda sit, docuimus Exc. 2. — συμπαραλ. est *unâ assumere* cf. Act. 12, 25. 15, 37. Polyb. 2, 10. 1. Aelian. V. H. 8, 7. Dion. Hal. 7, 55. — V. 2. κατ' ἀποκ. divino impulsus monitu (igitur non meopte arbitrio nec aliquo discendi studio). Paullulum discrepat, quod Act. 15, 2. legitur, Apostolum *auctoribus* Antiochenis hoc iter suscepisse. Sed potest utrumque conciliari, si statuis, ad hanc Antiochenorum accessisse etiam divinam auctoritatem, eaque effectum esse, ut Paulus ecclesiae Antioch. precibus cederet. v. Buxtorf. Catalect. p. 268. add. Gabler n. theol. Journ. XIII. p. 211 sq. — ἀνατιθ. *deferre* aliq. ad aliquem (Diog. L. 2, 18. 16. cf. Act. 25, 14.), max. consultandi caussa, hinc *proponere* al., *conferre* c. aliquo (Cic. orat. 1, 17.) Plutarch. amat. narrat. p. 772. Artemidor. onir. 2, 64. — αὐτ. Hierosolymitanis (presbyteris et antistitibus?) cf. Act. 8, 5. — ἐν τ. ἔθν. non pro dat., sed *inter gentes*. — κατ' ἰδίαν, *privatim, seorsim* sc.

ut ne, si his videretur Paul. castigandus, publica expostulatione ipsius auctoritas infringeretur [10]). — δοκοῦντες Graecis (recentioribus) dicuntur ii, qui (magna) auctoritate florent, in singulari dignitate constituti sunt, viri illustres, graves; Theodor. recte ἐνσημοι (cf. Eurip. Hec. 295. ubi v. Schäfer). Ita Porphyr. de abstin. 2, 40. τοῖς δοκοῦσι opponit τὰ πλήθη; v. inpr. Wetsten. Rabb. simil. dicunt חשובין. Alia ratio est loci Xenoph. Hier. 2, 1., quem laudat Kypkius, et eorum, quae ap. Herodian. 6, 1. 3. leguntur. Ceterum, quinam fuerint illi δοκοῦντες, patet ex v. 9. — τρέχ. ἢ ἔδρ. In deliciis habet P. verba, quae a stadio petita sunt (1 Cor. 9, 24.) ad significandum strenuum quendam laborem, inpr. eum, qui in tradendam doctr. christianam insumitur 1 Cor. 9, 26. Phil. 2, 16. 2 Tim. 4, 7. Ceterum modorum et tempp. usus h. l. paullulum laborare videtur, si μήπως transfertur *ne forte.* Pro τρέχω post praeter. ἀνεθέμην opus erat optativo (v. Herm. ad Vig. p. 810.), et indicat. ἔδραμον non videtur ullo modo locum habere posse propterea, quod hic modus rem vere factam esse indicat (v. Herm. l. c.). Hinc Fritzschius (Coniectan. in N. T. I, ad p. 50.) verba nostra sic interpretatur: *num frustra operam meam in evang. insumo aut insumsi?* At, quanquam subita haec sententia a Pauli ingenio non abhorret, mihi tamen in vulgari explicatione persistere placet. Scilicet factum esse videtur, quod persaepe apud graecos scriptores, ut verba Pauli ita enunciarentur, quo modo tum cogitavit: ich legte ihnen meine Lehre vor (bei mir denkend), dass ich nicht etwa - - laufe oder gelaufen bin

---

10) Patet igitur non solum *privatim* de hac Pauli caussa actum fuisse, ut Gablerus l. c. contendit. Cf. Act. 15, 12. V. ad h. l. Luther.

pro: damit ich nicht etwa liefe oder gelaufen wäre. Quod vero Paulus fatetur, fieri potuisse, ut studium suum irritum esset, hoc non adversatur iis, quae ante dicta fuerant. Nam irritum esse poterat studium Pauli, non solum si ipsius institutio abhorrebat a veritate christ. (quod sane non cadebat in doctrinam divinitus suppeditatam), sed etiam, si reliqui Apostoli Pauli studiis repugnabant. Itaque doctrinam suam proposuit iis, non quo ipse dubitaret de eius veritate (cf. v. 2. δι' ἀποκαλ.), sed ut reliqui Apost., cognita Paulinae institutionis indole, studia sua cum Paulo coniungerent eiusque auctoritatem apostol. palam stabilirent. Id iam, Chrysostomo praeeunte, perspexit Theodoret. Ita enim: οὐ περὶ ἑαυτοῦ τέθεικεν, ἀλλὰ περὶ τῶν ἄλλων· τουτέστιν, ἵνα μάθωσιν ἅπαντες τὴν τοῦ κηρύγματος συμφωνίαν καὶ ὅτι καὶ τοῖς ἄλλοις ἀρέσκει τὰ ὑπ' ἐμοῦ κηρυττόμενα cf. etiam Pelag., Oecumen. et Beza ad h. l.

V. 3. Nexus sententiarum hic est. Tantum aberat, ut illi me corrigerent, ut ne Titum quidem circumcidi iuberent. Ἑλλ. ὤν, *natione* Graecus cf. Tit. 1, 4. 1 Cor. 4, 15. — διὰ δὲ τοὺς etc. quid sibi haec velint et quomodo nectenda sint cum superioribus, id non definiri potest, nisi ex iis, quae proxime sequuntur, οἷς οὐδὲ etc. In his autem mira est lectionis discrepantia. Scilicet nonnulli libri vel utrumque voc. οἷς οὐδέ vel certe οὐδέ omittunt, ut cod. Clarom. Iren. 3, 13. Tertull. c. Marcion. 5, 3. (v. Neander Antignost. p. 283.) Hieron. Ambros. probantibus Millio (contra quem v. Whitby Exam. p. 36.) Semlero, Koppio, nec multum repugnante Griesbachio. Deleta negandi particula hic fere existeret sensus [11]):

11) Nam illi, qui verba v. 4. et 5. sic enarrant: *propter falsos fratres cessimus* (Antiochenis) *ut Hierosolyma proficisceremur vel cessimus decreto apostolorum*, neminem, credo, morabuntur.

coactus quidem non est Titus ad circumcisionem suscipiendam: verumtamen ψευδαδέλφων quorundam opinionibus cedendum esse existimavi (quemadmodum alio tempore fecit Apostolus Act. 16, 3. 21, 20 sqq.). At *primum* non video, quomodo paucorum (eorumque potissimum latinorum) librorum auctoritas eo valere possit, ut voc. οὐδέ e graecis eiiciamus; *deinde* eo in loco, ubi P. totus est in disciplinae iudaicae, adeoque circumcisionis vanitate demonstranda, si voluisset hoc tale συγκαταβάσεως exemplum enarrare, omnem disputationis nervum, opinor, incidisset; debebat certe rem, si tacere nollet, aliter exponere, ut ex hoc suo exemplo Galatis nullam excusationem nasci appareret; *tum* aliud est: apostolis cedere (Act. l. c.) aut hominibus, qui sint imbecilli ingenio, aliud *falsis fratribus*, qui id sedulo agunt, ut mortis Christi vim elevent [12]); *denique* verba ἵνα ἡ ἀλήϑ. etc. vix cum superioribus cohaerent, nisi salvo voc. οὐδέ. Quapropter retinendum existimamus οὐδέ, in eaque re consentientes habemus Calvinum, Bezam, Piscatorem, Bengelium (in Appar. p. 373.), Borgerum et Schmidtium (in Biblioth. f. Krit. u. Exeg. II, p. 450 sqq.) all. De singulis vero sic statuimus. δέ tuetur suam significationem: ab apostolis non coactus est: quod *autem* pertinet ad illos ψευδαδ. etc. παρείςακτοι dicuntur ii, qui *per fraudem ac dolum* (h. l. per pietatis simulationem) ingrediuntur (Tertull. adv. Marc. 5. *subintroductitios* vocat) v. Wetsten. II, 218. Verbum παρειςάγειν legitur eodem sensu 2 Petr. 2, 1. et ap. Polyb. 1, 7. 3. 2, 55. 3. nec dis-

---

12) Bene ap. Oecumen. est: τοῖς μὲν γὰρ ἀσϑενοῦσι δεῖ συγκαταβαίνειν ἐπὶ ϑεραπείᾳ πραείᾳ τοῦ ἀῤῥωστήματος, τοῖς δ' ἐκ κακουργίας καὶ πονηρᾶς γνώμης ὁρμωμένοις οὐδὲ τὸ ἐλάχιστον ὑπείκειν.

simile est, quod mox sequitur, παρεισέρχεσθαι cf. Diod. Sic. 12, 27. (Oecum. τῷ εἰπεῖν παρεισῆλθον τὴν λαθραίαν αὐτῶν καὶ ἐπίβουλον εἴσοδον δηλοῖ) et παρεισιέναι Polyb. 5, 75. 8. — κατασκ. in deteriorem partem accipias dolose aliquid explorare, speculari Jos. 2, 2. 2 Sam. 10, 3. — ἐλευθ. sc. ab observanda lege iud. vid. 5, 1, — ἐν Ἰησ. Χρ. i. e. tanquam coniuncti cum Christo, tq. in Christi communione versantes Ephes. 2, 10. Rom. 8, 2. 1 Cor. 1, 30. al., non: *per Christum, auctore Christo* (διὰ Ἰησ. Χρ.). — ἡμᾶς dicit semet ipsum et socios. — καταδ. legis mos. servitio (v. 4, 25. 5, 1.) denuo obstringere. Similis locus est Jes. 43, 22. ap. Aquil. et Symmach. οὐ κατεδουλωσάμην σε ἐν θυσίαις. De eo, quod in nonnullis codd. bonae notae est: καταδουλώσουσιν, v. Gramm. N. T. 257 sq. — Denique in vv. οἷς οὐδέ cet. inest anacoluthon (quo nihil frequentius apud Paulum); volentem enim ita fere scribere: *propter falsos autem fratres tale quid facere summa nobis religio fuit*, paullulum abduxere quae intermedia posuerat. Al. ut Stroth., Storr. (Opusc. III, p. 293.), Borgerus vocc. διὰ τ. παρ. iungunt c. ἀνέβην v. 2., satis contorte. — οὐδ. πρ. ὥρ. *ne minimum quidem tempus*. Cic. dixit: ne unius quidem horae spatio. — εἴξ. τ. ὑποτ. i. e. *cessimus iis, submisimus nos iis* εἰς (πρὸς) τὴν ὑποταγ. (ut Philox. vers.) h. e. ita, *ut iis obtemperaremus* (recte Luther. wichen denselben nicht, unterthan zu seyn), nam εἴκειν est unius momenti, ὑποτάσσεσθαι vero longioris temporis. — ἀληθ. τοῦ εὐαγγ. v. infra v. 14.

V. 6. δοκ. εἶναί τι i. q. supra οἱ δοκοῦντες, infra στῦλοι v. 9. Sim. δοκοῦντες εἶναί τι ap. Plat. Euthyd. p. 211 A. Liban. ep. 190. — ὁπ. π. ἦσ. οὐδ. μ. διαφ. - - λαμβ. haec interposita sunt tanquam in parenthesi, ut iam Calvinus vidit; ὁπ. ποτε ἦσ. *quales, quales erant,*

qualescunque demum erant. Sim. Demosth. de pace c. 4, 3. ὁποία ποτ' ἐστὶν αὕτη, Pausan. 7, 10. 1. Dio Chrys. 23. p. 278. 40. p. 493. Videtur P. illud tempus dicere, quo Christi consuetudine utebantur; huic enim rei multum tribuebant adversarii, v. Pelag. ad h. l. Si vertis: *qualescunque olim* (non *nunc*) *fuerint*, vide an scribendum sit ποτέ (Matthiae I, p. 87.), sed istud tamen non necessarium. Koppium vero ἦσαν pro εἰσί accepisse, iure miraberis. — οὐδ. μ. διαφ. *id nihil curo equidem, nihil mea refert* Aelian. V. H. 1, 95. Dio Chrys. 40. p. 493. Demosth. c. Theocr. p. 512. Plutarch. Ages. c. 3. Themist. orat. 21. p. 258. al. Neque enim Bezae et Hombergio (Parerg. p. 275.) assentior, locum ita enarrantibus: ab illis, qui videntur esse aliquid, nihil differo; hoc graece dici debebat: τῶν δὲ δοκ. οὐδὲν (Xenoph. Anab. 2, 3, 15. Athen. 14. p. 614., vel κατ' οὐδέν v. Dion. Hal. ep. 3, 21. vel οὐδενός Dio Chrys. 8. p. 130. v. οὐδενί Max. Tyr. 12, 1. Jamblich. protrept. 8. p. 130.) ἐγὼ διαφέρω (v. 5, 1.) vel certe τῶν δὲ δοκ. οὐδέν μοι διαφέρει. Certe nolim loco Theophili Instit. iur., ubi haec leguntur: τὸ δὲ Χυδαῖον πλῆθος τοῦ δήμου τούτῳ διενήνοχε ᾧ διενήνοχε γένος ἀπὸ τοῦ εἶδος, ad istam structuram defendendam uti. Nuper vero in hanc eandem fere sententiam concessit Schulthess. (v. Abendm. p. 17.): dicit enim, Paulum scribere voluisse ἀπὸ τῶν δοκ. - - οὐδὲν ἐγὼ διαφέρω, *nihil ab illis differo* h. e. nihil cedo, par et aequalis sum. Sed quod addit, Paulum pro genit. τῶν δοκ. potuisse etiam ἀπὸ τ. δ. ponere, id gratis sumsit vir doctus; deinde vero in sqq. scribi potius debuisse videtur: οὐδὲν γὰρ - - προςαν. μοι, cum in pron. nulla amplius vis insit. — προσωπ. θεὸς ἀνθρ. οὐ λαμβαν. Deus non curat personam (in hac enim voce vis posita) hominis i. e. non favet homini propter externam eius conditionem, adeoque

nec magistro christ. propter externa quaedam et adscititia ornamenta (velut quod ille in primis fuerit Christi discipulis, quod ipsum Christum oculis usurparit). Est formula hebr. satis nota (die äusserl. Vorzüge jem. zum entscheidenden Maassstab für seine Behandl. machen) Luc. 20, 21. cf. Deut. 10, 17. ὁ ϑεὸς οὐ ϑαυμάζει πρόςωπον et Mt. 22, 16. (ubi nolim in Fritzschii sententiam ire). — ἐμ. γ. οἱ δοκ. etc. Habes et hic anacoluthon: voluit scribere: ab illis, qui videbantur aliquid esse - - nihil mihi additum (ad ea quae iam noveram et tradideram) sive supplendi sive corrigendi caussa (*ἀπό von Seiten d. Ap.* cum passivo v. Gramm. N. T. p. 332.); sed interposita verba in caussa fuerunt, ut structuram mutaret; redordiri enim Paulum superiorem sententiam, manifestum e voc. οἱ δοκοῦντες. Similis ἀνακολουϑίας ne ex Thucydide quidem, unde viri docti multa enotarunt, recordor. Sed si scire cupis, quomodo nonnulli torserint verba Paullina, adi Wolfium et Kypkium ad h. l. nec non Storrium in Opusc. 1. p. 217. Ipse Bengelius mire lapsus est.

V. 7. ἰδόντ. cum intellexissent sc ex rerum a Paulo prospere gestarum narratione. De formula πεπίστευμαί τι *mihi concreditum aliquid habeo* Rom. 3, 2. 1 Cor. 9, 17. v. Grammat. N. T. p. 205. Agnoscebant igitur apostoli, Paullum hoc munere fungi διὰ Ἰησοῦ Χρ. καὶ ϑεοῦ πατρός v. 1, 1. Ad voc. εὐαγγ. τ. ἀκρ., τ. περιτ. (Rom. 2, 27. 4, 10. Col. 1, 11.) cf. Semleri Pr. duplex evang. Gal. 2, 7. Hal. 1783. 4. — V. 8. ἐνεργ. εἰς ἀποστ. Simil. structuram habes Prov. 31 (29), 12.: γυνὴ ἐνεργεῖ τῷ ἀνδρὶ εἰς ἀγαϑά. Dativus immerito vexavit Wahlium. Sens. autem hic: qui in Petro hoc effecit, ut provinciam instituendi Judaeos cum fructu tueretur, qui Petrum admotum muneri apost. in usum Judaeorum suscipiendo iuvit. Igitur quemadmodum P. a Christo *acceperat* munus ap. ita *unus*

etiam Deus Paulo et Petro aderat in obeundo hoc munere, ut par esset utriusque magistri dignitas. Quod statim mutat structuram P. ἐν. καὶ ἐμοὶ εἰς τ. ἐϑν. hoc te non habebit mirum; utroque enim modo recte dici poterat. Syr. hanc structurae diversitatem sustulit.

V. 9. χάριν δοϑ. loquitur potissimum de successu, quo in tradenda doctrina div. usus fuerat. — οἱ δοκ. στῦλοι qui habiti sunt *columina* (ecclesiae), die dafür *galten;* non est huic voci dubitationis aliquid admixtum, ut nonnullis videtur; cf. Chrysost., qui bene in h. l. commentatus est, et Homberg. Parerg. p. 277. Voc. στῦλ. sign. principes apostolos, quorum quasi erat totam ecclesiam sustentare cf. Apoc. 3, 12. et Schöttgen. ad h. l. Similiter κίονες Stob. serm. p. 47. (v. Gatacker Advers. 2, 20.), lat. *columina* Terent. Phorm. 2, 1, 57., *columnae* Horat. Od. 1, 35, 13. Adde, quod P. ecclesiam christ. aedificio s. templo passim assimilat 1 Cor. 3, 16. 1 Tim. 3, 15. Eph. 2, 21. — δεξ. κοιν. *dextra communionis* h. e. qua data communionem iniri significabatur. ἵνα ἡμ. etc. suppl. vel *proficisceremur* vel ex omni disputationis serie (agitur enim de *tradendo* evangelio) εὐαγγελισώμεϑα, εὐαγγελίσωνται cf. 1 Petr. 1, 25. — V. 10. μόν. τῶν πτωχ. *tantum* (quod ad περιτομήν attinet) *pauperum* (max. Palaestin.) *ut memores essemus* (sublevando, opem ferendo) sc. consensimus vel rogarunt nos. Cf. etiam Grammat. p. 518. — ὃ καὶ - - ἐσπ. ποιῆσ. diligenter feci Eph. 4, 3. De re ipsa cf. Act. 11, 29 sq 24, 17. Rom. 15, 17. 1 Cor. 16, 1. 2 Cor. 8. Singulari ἐσπούδασα utitur, quod Barnab. paulo post ab eo recessit v. 18. αὐτὸ τοῦτο ad relat. ὅ graviter adiectum.

SECTIO QUARTA.

CAP. II. v. 11—21.

Docet, quomodo Antiochiae, multis audientibus, expostulaverit cum Petro, qui a christianorum e paganis oriundorum consuetudine sese abstinuisset, summamque disputationis de νόμῳ *occupat.*

V. 11. De hac Pauli et Petri disputatione cf. Middleton verm. Abhandl. Lpz. 1793. 8. p. 1 sqq. (v. Eichhorn Bibl. d. bibl. Liter. IV, p. 999 sqq) et E. G. A. Böckel, Pastoris nunc Hamburg., adumbratio quaestionis de controversia inter Paul. et Petr. Antiochiae oborta. Lips. 1817. 4. — ὅτ. ἦλθ. postquam venit h. e. aliquamdiu ibi versatus fuit cf. v. 14. *Antiochiam* dicit Syriae (Coelesyriae) urbem ad flumen Orontis sitam, amplam, opulentam, hominibusque frequentem, v. Cellar. Notit. orb. antiq. Tom. II. p. 417 sqq. Mannert Geogr. d. Griech. u. Röm. VI. I. p. 467 sq. De hoc autem Petri [13])

---

13) Non moramur ineptam Patrum nonnullorum, ut Clem. Alex. (Euseb. H. E. 1, 12.) sententiam, pontificiis magnopere probatam, qui non Petrum Apost., sed ignobilem quendam Cepham dici opinantur v. Böckel. et Borger. ad h. l., unde factum, ut h. l. pro Πέτρος in libros haud paucos Κηφᾶς inferretur v. Matthaei. Nec Theophylactus placet, qui οἰκονομικῶς h. e. per speciem a Paulo dicta factaque omnia esse contendit. Rectius et veritati convenientius de hoc nom. statuerunt Hieron., Pelagius et Augustin. add. Knapp. Script. II. p. 455 sq. Ceterum antiquiores theologi multum in eo laborarunt, ut ostenderent, hanc Petri simulationem non repugnare doctrinae, quae est de Apostolorum θεοπνευστίᾳ v. Weismann usus et abusus censurae Petri paulinae (Tub. 1745. 4.) p. 16 sqq. add. Flatt Vorles. p. 63. Sed hac tali cura interpres s. s. non angitur.

itinere nihil legitur apud Luc. in Actis, nec, in quem annum incidat, definiri accuratius potest; v. tamen Exc. 2. — Formulam κ. πρόςωπ. τ. ἀντιστῆναι, quae ap. LXX. simpl. dicitur de his, qui resistunt, obnituntur (Deut. 7, 24. 9, 2. Jud. 2, 14.) 2 Chron. 13, 7. 8. (add. Job. 16, 8. ἀντιλέγειν κ. πρόςωπ.), h. l. non dubitabis cum vi positam esse (cf. v. 14. ἔμπροσθεν πάντων) ita ut verti debeat: *in faciem* (Polyb 25, 5. 2. Diod. Sic. 19, 46.) h. e. *praesens praesenti* (timoris expers) *restiti* 2 Cor. 10, 1. Cet. ἀντέστην pro multitudinis numero (v. Buttmann I. p. 530.) habuit Aethiops, vertit enim, quod Griesbachius silentio praetermisit, *restiterunt*. — κατεγνωσμ. *quod reprehensionem incurrerat.* Sim. Syr., Theophyl., Luth. (es war Klage über ihn kommen). Bene; nihil enim opus cum aliis (Vulg. Stolzio, de Wettio, Valckenario ad 1 Cor. 2, 8.) vertere: *reprehensione dignus,* reprehensibilis *fuit,* v. Elsner. ad h. l. Haec quidem vis nec Jud. 12. (ubi recte Stolz.) in particip. ἐκριζωθ. latet et omnino ab interpretib. temere ad plures V. (Jes. 33, 19. Zeph. 2, 1.) ac N. T. locos adhibita est. *Laudatum* aut *desideratum* nemo dicit pro *laudabili* aut *desiderabili,* nisi cum, aliquem laude aut desiderio dignum esse, inde potissimum effectum vult, quod iste iam multorum laudibus cet. floreat.

V. 12. ἐλθ. τιν. ἀπὸ Ἰακ. Christianos dicit iudaicae disciplinae nimium deditos (Act. 21, 20.), qui Jacobi auctoritate utrum iure an secus (Beza ad h. l. Knapp Script. II. p. 451.) usi fuerint, in medio relinquit P.; alioquin παρά dixisset. Quonam autem consilio venerint Hierosolymis, non liquet. Quid, si ex eodem illo τῶν κατασκοπούντων τὴν ἐλευθερίαν (v. 4.) genere fuerint? Cet. ἀπὸ Ἰακ. non est copul. c. τινας sed c. ἐλθ. — *Edere cum aliquo,* δειπνεῖν (Apoc. 3, 20.), συνεσθίειν (Luc. 15, 2.

1 Cor. 5, 11.) interd. generatim notat: alicuius consuetudine, familiaritate uti; h. autem loco videtur potissimum *epularum communio* significari, a qua magnopere abhorruerunt, qui severam disciplinam iud. sectabuntur v. Act. 11, 3. coll. 15, 19. — ὑποστ. ἑαυτ. est *clam se subducere, subterfugere* Polyb. 1, 16. 10. Imperfecta autem pertinent ad rei diuturnitatem significandam. — V. 13. Ἰουδ. h. e. Christiani e Judaeis. Verb. συνυποκρ. eod. sensu habes ap. Polyb. 3, 92. 5. Plutarch. in Mario c. 17. (p. 415. B. Xyl.). ὥςτε iungitur h. l. indicativo (nam quod in nonnullis libris est ὥςτε συναπαχθῆναι ex emendandi studio fluxit), ut ap. Graecos crebrius, quam vulgo putant v. Gramm. N. T. p. 269. — καὶ Βαρν. ipse *etiam Barn.*, alioquin Paullinae disciplinae, quae ad gentiles potissimum spectabat, studiosissimus, magni apostoli exemplo motus est cet. — συναπ. τῇ ὑπ. abreptus est et ipse *eorum simulatione* (sc. ad eandem dissimulationem) cf. 2 Petr. 3, 17. Philox. vertit: *ad eorum simulationem:* ea et ipsa est vis dativi, v. supra v. 5., sed Paull. ita dicturus fuisset praeverbium. Vulg. *simulatione consenserunt.*

V. 14. ὀρθοπ. vox ἅπαξ λεγομένη, quae quid sibi velit, sponte patet; *recte incedere* est (cf. περιπατεῖν) recte sentire et agere (ὀρθοπραγεῖν). Quae autem norma insit recta ratio, dicitur verbis πρὸς τὴν ἀλήθ cet. Nugatur de vocis origine Tan. Faber epist. (Salmur. 1659.) p. 75 sq. cf. Deyling. observ. sacr. II, p. 520 sq. — ἔμπρ. πάντ. (1 Tim. 5, 20.) quoniam communis multorum fuerat ad magni apost. exemplum simulatio. — ἐθνικῶς atque adeo neglecta disciplina iudaica sc. illa potissimum, quae ad ciborum discrimen pertinebat. πῶς *quo iure* (illi enim idem faciunt quod tu), ex optimis libris (A B C D E F G) scribi iussit Griesbachius pro τί, quod servat Matthaeius; Vaterus mirum in modum utrumque

copulavit πῶς τί τὰ ἔθνη cet. — ἀναγκ. sc. auctoritate et exemplo. Simil. loc. ap. Liban. IV, p. 155. τί ἡμᾶς ἀναγκάζεις τοῖς ἤθεσιν Ἀθηναίων ἀκολουθεῖν. Xenoph. Ephes. 2, 14. — ἰουδαΐζ. (Jos. Antt. 2, 17, 2.) iudaicam disciplinam sectari, *iudaicam vitam vivere* (Sueton. Domit. 12.).

V. 15. Quaesitum est ab interpretibus, utrum ea, quae sequuntur usque ad v. 12., pertineant et ipsa ad disputationem Pauli Antiochenam, an scripta tantummodo sint Galatis (e iud. gente oriundis). *Hoc* statuerunt Calvinus, Grotius, Semlerus, Koppius in ed. 2. Flattus et Boeckelius, *illud* contra Tittmannus (Opusc. theol. p. 365.), Knappius, Jaspisius. Equidem in posteriorem sententiam concesserim: existimo enim, Paulum, si reliqua seiungenda essent a v. 14., additurum fuisse vocem, qua, ad solos Galatas haec dici, appareret, ut: ἡμεῖς οὖν, ἀδελφοί etc. Praeterea ita comparata sunt omnia, ut bene cadant in Petrum Apost., atque ea potissimum, quae statim v. 16. exponuntur, ad illustrandum v. 15. adiecta videntur. Denique 3, 1. Paulus denuo compellat Galatas (ὦ ἀνόητοι Γαλάται) tanquam ad eos revertens. — ἡμεῖς ad Petrum etiam pertinet. — φυσ. *natalibus*, Plat. Menex. p. 239. cap. 8. — ἁμαρτωλ. רְשָׁעִים, solennis paganorum appellatio Tob. 13, 6., profecta a Judaeorum fastu, qui se יְשָׁרִים Dan. 11, 17. probos, Deo acceptos et esse opinabantur et posteriore tempore vocabant, v. Michael. ad h. l. et Schulthess. exeget. Forsch. I, p. 482 sq. Hoc autem loco gentiles ἁμαρτωλοί dici videntur propterea, quod alieni erant a lege divina atque adeo a summi numinis cognitione et cura (Eph. 2, 12.). Nam nos Judaei, inquit, habebamus legem divin., qua conservata ad Dei favorem attingere poteramus, sed

ipsimet nos iudicantes, hanc non sufficere ad vitam aetern. consequendam, Christo nomen dedimus, abiecta, cui *ipsis natalibus* obstricti eramus, lege; quid igitur gentilibus hanc talem legem imperemus, unde nosmet ipsi nullum exspectabamus fructum? — V. 16. Post εἰδ. nonnulli libri addunt δέ (v. Griesb.), haud inepte. — ἐὰν μὴ διὰ πίστ. cet. *sed* (v. Eustath. ad Iliad. 23. p. 1454, 18.) *per fidem*. Scil. sunt duae sententiae invicem conflatae: non consequitur quisquam δικαιοσύνην ex operibus legis, et: non cons. quisq. δικ. *nisi per fidem*. Simile quid reperis Thuc. 2, 63. τὸ ἄπραγμον οὐ σώζεται, μὴ (εἰ μὴ) μετὰ τοῦ δραστηρίου τεταγμένον. — διότι cet. sumta haec sunt e Ps. 143, 2. — V. 17. ζητ. quippe omnem δικαιοσύνης spem in Christo reponentes. εὑρίσκεσθαι h. l. non est, ut vulgo tradunt, pro εἶναι, sed significat: aliquem talem, qualis est, ab aliis (sive Deo sive hominibus) cognosci cf. Mt. 1, 18. Ita iudicandum etiam de hebr. נִמְצָא 2 Chron. 36, 8. Mal. 2, 6. Jes. 12, 15 al. In nostro loco verum iam vidit Baumgartenius. Simil. εὑρίσκεσθαι c participio iunctum legitur ap. Diod. Sic. 19, 94. ὃς ἂν παρὰ ταῦτα ποιῶν εὑρίσκηται. Cf. Boissonade ad Nicet. p. 444. — ἁμαρτ. sc. reiecta lege iud., nihil amplius curantes legem; καὶ αὐτοὶ (nos olim Judaei v. 16.) atque ita aequales gentilibus v. 15. — ἆρα] Sic praeeunte Vulg. nostra aetate Griesbachius et Knappius ediderunt (nam formulae μὴ γένοιτο ap. Paulum semper praemittitur interrogatio, Rom. 3, 3. 6. 31. 6, 1. 15. 7, 7. 13. 11, 1. 11. 1 Cor. 6, 15. Gal. 3, 21.); Vaterus sustulit signum interrog., sed ita scribi debebat ἄρα, ut est ap. Koppium. Jam facile patet, ἆρα si *num* vertis, non recte cadere in hunc locum; itaque sic explicanda verba sunt: *nonne Christus minister peccati* (v. Herm. ad Viger. p. 823. Schaefer Melet. p. 89. Poppo Observ. Thuc. p. 15.),

hoc necessario sequeretur. Idem verborum sensus est, si (Grotio obsecutus) ἄρα scribis: *itaque Chr. peccati minister est,* nec obstat, quod ἄρα ap. graecos scriptores primum in sententia locum occupare son solet (v. Herm. ad Antig. 628.): nam in N. T. passim ponitur ab initio apodoseos Mt. 12, 28. εἰ ἐν πνεύματι Θεοῦ ἐγὼ ἐκβάλλω --, ἄρα ἔφθασεν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ, 2 Cor. 5, 14. et infra Gal. 2, 21. 2 Thess. 2, 15. Sed quo sensu P. Christum ἁμαρτίας διάκονον appellat? Scilicet abrogatae legis auctor (iis) fuit Christus, utpote propter solam πίστιν hominibus salutem impertiturus; iam si legem deseruisse peccatum est, ipse Christus in peccati societatem venit. Bene Theodoretus: εἰ δέ, inquit, ὅτι τὸν νόμον καταλιπόντες τῷ Χριστῷ προςεληλύθαμεν διὰ τῆς ἐπ' αὐτὸν πίστεως, τῆς δικαιοσύνης ἀπολαύσασθαι προςδοκήσαντες, παράβασις τοῦτο νενόμισται, εἰς αὐτὸν ἡ αἰτία χωρήσει, τὸν δεσπότην Χριστόν. Theophyl.: ἐζητήσαμεν δικαιωθῆναι ἐν Χριστῷ ἀφέντες τὸν νόμον· ὡς λέγετε δὲ ὑμεῖς ἁμαρτία ἐστὶ τὸ ἀφιέναι τὸν νόμον. εἰς ταύτην λοιπὸν τὴν ἁμαρτίαν ὁ Χριστὸς ἡμᾶς συνώθησε· δι' ἐκεῖνον γὰρ ἀφήκαμεν τὰ νομικὰ πάντα. Assentiunt Semlerus, Cramerus, Koppius et Borgerus. Morus vero, qui interrogationem subesse putat, integri versus hanc dedit paraphrasin: „quodsi, dicat aliquis (Christianorum a lege mos. abhorrentium adversarius), vos cupientes per Christum gratiam div. adipisci, reperiamini et ipsi similes paganorum, non utentium Mosis praescriptis: sequi videtur, Christum quasi ministrum peccati esse velle, inservire velle huic licentiae *sine lege atque adeo libidinose* vivendi.“ Haud dissimilis est Strothii interpretatio l. c. p. 48. At tum scribere debebat Apostol. vel τί δὲ vel ἀλλ' εἰ, nec sequentia bene cohaerent. Multo vero minus Pauli mentem perspexit Piscator, qui hunc locum ita enarrat: „si

nos Judaei quaerimus iustificari per Christum, reperimur et ipsi peccatores; si reperimur et ipsi peccatores, Christus peccati minister est.“ Hac scil. conclusione non attenuaretur, sed prorsus tolleretur mortis Christi efficacia. Ita vero disputare non poterant Christiani ex Judaeis, quibuscum Paulo res erat. Hoc ipsum videtur in Calvini interpretationem cadere. — μὴ γέν. *absit*, hoc vel cogitare religio est.

V. 18. γάρ ostendit, in quo vera peccati caussa insit; hinc sequitur, non inesse in Christo. — καταλ. et οἰκοδ. sumta sunt vocabula ab architectis, quo nihil frequentius, ap. Paulum praesertim, v. Eph. 2, 20 sq. 1 Cor. 3, 10. Rom. 15, 20. H. l. καταλ. est: legem, quae stabat h. e. valebat, irritam, abrogatam declarare (Mt. 5, 17.), πάλ. οἰκοδ. denuo sancire, vim et auctoritatem (ei) tribuere. Cf. καταλύειν νόμον Dion. Hal. IV. 2238. it. παραλύειν ν. Diog. L. 1, 8. 4., καταλ. de dogmatibus Philostr. Apoll. 7, 14., de decretis Dio Cass. 40, 57., inpr. add. Talm. Berach. 63, 1: dixerunt Chaninae filio etc.: *iam aedificasti, an destruis? iam sepem fecisti, an perrumpes?* — παραβ. sc. τοῦ νόμου v. 19. Rom. 2, 25. 27. Jac. 2, 9. 11. — συνίστ. sisto i. e. declaro etc. cf. 2 Cor. 6, 4. 7, 11. v. Munthe ad h. l. — ἐμαυτ. *me ipsum*, non alium (Christum); videtur cum vi dictum. Sensus hic est: lex ipsa me a suo imperio liberavit (v. 19.); iam si hanc legem, recte abrogatam, denuo mihi iniungo, ipse me παραβάτην huius legis declaro. Itaque in revocanda, non in abroganda lege peccatum poni videtur ab Apostolo. Nam v. 19. arctissime cohaeret c. v. 18. Qui sensum ita enarrant: *si legem olim a me reiectam nunc denuo mihi aliisque iniungo, hac ipse re declaro, me olim, cum legem repudiarem, peccasse:* ii, vereor, ut v. 19. facili ratione copulare possint cum v. 18. Omnia potius ad gravem

hanc sententiam redeunt: non abrogasse legem, peccatum est (ut Petrus statuere videbatur, denuo ad legem reversus), sed revocare potius. [14])

V. 19. νόμ. ἀπέθ. Simil. phrasin habes Rom. 6, 2. 8. add. Col. 2, 20. Sensus est: mortuum quasi esse legi (todt seyn *für* das Gesetz), legi valedixisse, renunciasse. διὰ νόμ. multi (etiam Luther. et Bengel.) intelligunt de lege (divina), quae in disciplina christiana continetur (cf. νόμος πίστεως Rom. 3, 27. νόμος δικαιοσύνης Rom. 9, 31., add. 1 Cor. 9, 21. Rom. 8, 2.) ac similem locum Justini Mart. Dial. c. Tryph. p. 157. Thirlb. laudat Borger. Nec incommode poterat P. in tali antithesi disciplinam christ. νόμον appellare cf. inpr. Rom. 3, 27. Sed gravior existit sententia, si νόμον utroque loco de lege mos. interpretaris: *lex legem sustulit*, ipsa lex, cum non posset mihi salutem impertire (v. 16.), mei me iuris fecit atque a suo imperio liberavit v. post Pelag. et Oecumen. Calvin. Beza, Grot. Semler. Baumgarten. Mynster. all. ad h. l. cf. 4, 21. [Al. intellexerunt νόμον de oraculis V. T., ut Theodoret.: αὐτῷ τῷ νόμῳ πεισθεὶς νεκρὸν ἐμαυτὸν τῷ νόμῳ κατέστησα. Theophyl.: αὐτός με ἤγαγε μὲν ὁ νόμος εἰς τὸ μηκέτι προςέχειν αὐτῷ, ὁδηγήσας με εἰς Χριστόν, διά τε τῶν Μωσαϊκῶν λόγων καὶ τῶν προφητικῶν. Sed ita nusquam dicitur voc. νόμου. Nec Schmidtius placet (Biblioth. f. Krit. u. Exeg. II, p. 454 sqq.), qui ad Rom. 7, 1 sqq. provocans sensum ita expedit: ego, utpote cum Christo cruci affixus, mortuus sum; iam vero lex non habet (ut l. c. docet Apost.) potestatem in mor-

---

14) Cf. Oecumen. ὅρα αὐτοῦ σύνεσιν· ἐκεῖνοι ἐκ τοῦ μὴ φυλάττειν τὸν νόμον ᾤοντο εἶναι παραβάται, αὐτὸς δὲ δείκνυσιν, ἐκ τοῦ ἔχεσθαι αὐτοῦ παραβάτας εἶναι. παραβ. ἐμ. συνιστ. ἐκ γὰρ τοῦ πάλιν πείθεσθαι τῷ νόμῳ δεικνύω ὅτι ὡς παραβάτης αὐτὸν πρῶτον ἔτασα.

tuum, ergo cet. Hoc parum commode diceretur διὰ νόμου.] — ἵνα Θεῷ ζήσ. eo consilio, ut etc. Quid sit *vivere Deo,* egregie demonstrat locus Rom. 6, 11. λογίζεσϑε ἑαυτοὺς νεκροὺς μὲν εἶναι τῇ ἁμαρτίᾳ, ζῶντας δὲ τῷ Θεῷ. Est igitur Deum in vitae ratione instituenda unice respicere, ad Dei voluntatem omnem vitam componere, h. e. recte agere non legis reverentia (νόμῳ ζῆν), sed Dei amore. Etenim Judaei vivebant non Θεῷ, sed vel νόμῳ vel ἑαυτοῖς 2 Cor. 5, 15.

V. 20. Χρ. συνεσταύρ. (simil. συνϑάπτεσϑαι τῷ Χριστῷ Rom. 6, 4. Col. 2, 12.) *cruci affixus* atque adeo mortuus *sum* (ego, homo iudaicus) *una cum Christo* (siquidem christianus factus sum). Similis loc. est Rom. 6, 6. ὁ παλαιὸς ἡμῶν ἄνϑρωπος συνεσταυρώϑη, ubi haec statim subiunguntur explicationis caussa: ἵνα καταργηϑῇ τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας, τοῦ μηκέτι δουλεύειν ἡμᾶς τῇ ἁμαρτίᾳ. Proinde sensus nascitur hic: omnis vita, quam ego antehac tanquam Judaeus egi, adeoque omnia studia et officia, quibus ista vita regebatur (τὸ ζῆν τῷ νόμῳ, τῇ ἁμαρτίᾳ, τῇ σαρκὶ), nulla amplius sunt: novam nunc in me vitam formavit Christus. — ζῶ δέ etc. Duo hic sibi opponi invicem, sponte apparet: alterum est: *ego* (egomet) *vivo* h. e. meis mihi viribus vivo; alterum: *Christus in me vivit,* est: totus me regit, est novae vitae principium atque finis, haec autem nova vita, quomodo Deum unice respiciat et vere sit ζῆν τῷ Θεῷ v. 19. docet Rom. 7, 4. add. 8, 9. 10. Theophyl.: Χριστός ἐστι πάντα ποιῶν ἐν ἡμῖν καὶ κρατῶν καὶ δεσπόζων· καὶ τὸ μὲν ἡμέτερον Θέλημα νεκρόν ἐστι, τὸ δὲ ἐκείνου ζῇ καὶ κυβερνᾷ τὴν ζωὴν ἡμῶν. — ὃ δὲ νῦν ζῶ etc. quod vero ad id attinet, quod etc. Simil. structuram v. Rom. 6, 10. ζῆν ἐν σαρκί Phil. 1, 22. *in carne* i. e. corpore, sensu physico. σάρξ enim *vivum corpus* significat v. Schulz Abendm.

p. 95 sqq. ζῆν ἐν πίστ. *In* πίστ. *vivit,* qui totus τῇ πίστ. tanquam vi vitali regitur (leben und in der πίστις leben ist bei mir eins). — Quae addita sunt τοῦ υἱοῦ - - ὑπὲρ ἐμοῦ caussam indicant, quae P. movere debeat ad τὸ ζῆν τῷ Χριστῷ. — V. 21. ἀθετ. i. e. *non tollo*, Vulg. *non abiicio* (haec ita disputans) *gratiam div.* (eam, quae in mortis Christi pro hominibus susceptae fructibus cernitur) h. e. non irritam declaro. ἀθετ. enim de his maxime dic., quae tanquam normae propositae sunt Jes. 24, 16. Mt. 7, 9. Oecum. ἀθετεῖν ἐστι τὸ ἀπιστεῖν, τὸ ἐξευτελίζειν, τὸ διαπαίζειν. Aliud est ἀθετεῖν χάριν ap. Polyb. 2, 58. 5. Minus recte Grotius: *non vilipendo* coll. 1 Sam. 2, 17. (nam quos Wahlius e N. T. protulit locos, ii *repudiandi* significationem poscunt). δωρεάν *gratis* i. e. sine idonea caussa, nulla necessitate urgente (LXX. Iob. 1, 9. Ps. 34, 8. Sir. 20, 24.), *temere.* Grotius et Piscator: *sine fructu,* μάτην (ut habet Theophyl.), sed nusquam δωρ. pro μάτην ponitur, quanquam h. l., si sensum spectas, μάτην etiam dici recte poterat.

SECTIO QUINTA.

CAP. III. v. 1—18 [15]).

Ipsam disputationem de fracta legis auctoritate ingreditur ostenditque, a) τὸ πνεῦμα *Galatis non propter*

15) In hui. cap. v. 1—20. singularis libellus prodiit Ven. Tischeri, Pirnensium nunc antistitis (Viteb. 1802. 4.). Spreta superiorum interpretum auctoritate novam passim vir doctus ingressus est viam; nec tamen a me impetrare potui, ut in eius partes ubique concederem.

obsequium legi praestitum, sed propter fidem (v. 2—5.) contigisse, b) Abrahamum et ipsum Deo propter fidem probatum, et eius posteris felicitatem propter fidem promissam esse (v. 6—9.); idque aliter fieri non potuisse, cum lex non pariat nisi poenas (v. 10. 11.), ex ea autem felicitatem oriri, ipsa S. S. neget (v. 12.). Ab his legis poenis liberatos esse homines beneficio Christi (v. 13.), atque ad hunc spectare istam promissionem Abrahamo facta (v. 14), quam non potuerit lex serius scripta irritam declarare (v. 15—18.).

V. 1. ἀνόητ. Nihil huc pertinet, quod Hieron. de nativa Galatarum vecordia et stultitia disputat ad h. l. (v. C. G. Hoffmann. diss. quae erroneam Hieron. sententiam de stupidis Galat. ingeniis exponit atque confutat, L. 1728. 4.); alienum etiam illud: Γαλατῆσι ἄφρονι φύλῳ apud Callimach. Hymn. in Del. 184. v. Wernsdorf de rep. Gal. p. 268 sqq. — βασκαίνειν Graecis generatim est: magica vi alicui aliquid mali inferre, quod fieri solebat *invido* potissimum *oculo* (Aelian. anim. 1, 35. Plutarch. quaest. symp. 5, 7. Plin. H. N. 7, 2. Gell. 9, 4. Heliodor. Aeth. 3, 7. p. 140. v. Schol. ad Theocr. 5, 13. Lambin. ad Horat. 1. epist. 14, 37. et Irmisch. ad Herodian. I, p. 897.), deinde malis artibus aliquem in errorem abducere Diod. Sic. 4, 6. Plerumque iungitur dativo, sed accusativi exemplum v. Sirac. 14, 6. cf. Phrynich. ed. Lobeck p. 463. Syr. חסם *aemulatus est, invidit* (Dio Chrys. 42. p. 505.) atque ita multi alii interpretes. Rectius Stolz.: Wer hat euch bezaubert; latine vertas: *quis excantavit vos* (Plauti Fragm. IV, p. 286. ed. Bip.). Pro ἐβάσκανε, quod Griesbach. e plurimis libris dedit, in nonnullis codd. est ἐβάσκηνε, quae est forma aor. bene graeca v. Buttmann ausführl. Gr. p. 453. Matthiae ausführl. Gr. I, p. 328. — τῇ ἀληθ. μὴ πειθ.

veritati semel traditae *non parere* i. e. eam non mente animoque tanquam normam tueri, retinere, ut bene Grotius. Alii, in quibus Koppius est: *ver. fidem non habere;* sed ea vis voc. nec reperitur Act. 5, 36. (cf tam. Xenoph. Anab. 1, 1. 3. Max. Tyr. 37. p. 439.), nec ad hunc loc. accommodata est. Ad infinitivi usum, qui neminem morabitur, cf. 1 Thess. 2, 4. Hebr. 6, 9. 11, 8. al. Haec autem omnis sententia: τῇ ἀληθείᾳ μὴ πείθ., quam Matthaeius in codd. suis omnibus reperit, abest a cod. Alex. et Clarom., a verss. syr. copt. vulg., a plurimis denique patribus (ut Chrysost. et Cyrill.). Itaque eiicienda esse videtur, ut e v. 7. huc translata, v. Millius et Griesbach. ad h. l. — προεγρ. a pictoribus sumtum, quos Graeci dicunt et γράφειν et προγράφειν (Aristoph Av. 450.), ut in vulgus notum; προ sign. *palam, ut conspectus pateat,* qui sensus apertius etiam in v. κατ᾽ ὀφθαλμ. (Aristoph. ran. 626.) inest. Hoc enim dicit: vos estis *accurate* et perspicue instituti, edocti de mortis Christi caussis atque effectibus. Verba ἐν ὑμῖν, si genuina sunt (etenim non leguntur in A B C. vers. syr. aeth. cet.) addita puto ad οἷς, ut magis appareret, quomodo *iis* depictus fuerit Chr., nimirum *in ipsorum animis* [16]), cf. Gramm N. T. p. 134. ἐσταυρ. in fine positum est, ut quod maximam sententiae vim contineat. Ceterum doctius quam verius hanc sententiam illustravit Harenberg in Bibl. Brem. Cl. VIII. p. 387 sqq.

---

16) Alii, ut Theodoret., Morus, Stolzius iungunt ἐν ὑμ. ἐσταυρ. *ac si inter vos cruci affixus esset.* Sed ita non poterat abesse ὡς. Quod vero nonnemo dixit, ἐν ὑμῖν esse *vestra caussa,* id tolerari nequit v. ad 1, 23. Denique displicet etiam Lutheri interpretatio: *quibus ob oculos Christus praescriptus est, quod sit in vobis crucifixus;* quaerentes iustitiam ex lege crucifigunt Christum, qui antea vixit et regnavit in ipsis.

V. 2. Ad summi, quod ipsi in animis sentiebant, beneficii cogitationem revocat Galatas. πνεῦμα enim sign. omnem illarum virium, facultatum, virtutum, quae hominibus per fidem christ. divinitus contingunt eorumque animos in melius convertunt, ambitum vel, ut rectius dicam, fontem et principium, die neue aus dem Glauben geborne Grundkraft des christl. Gemüths. Id quam late pateat, dilucide explicatum est a Koppio Exc. V. ad Gal. p. 120 sq. Commode vero sibi invicem opponuntur ἔργα et ἀκοή, νόμος et πίστις.

V. 3. οὕτως tantopere, *adeone*. cf. Jacob ad Lucian. Alex. p. 28. — ἐναρξ. - - - ἐπιτελ. i. e. simpl. a πνεύματι ad σάρκα delabimini ut in hac acquiescatis? σάρκα dicit istam superstitionem, quae in rebus externis (quale est legis iud. obsequium) veram pietatis naturam quaerit; πν. igitur est indoles eorum, qui *mente* deum colere didicerunt. ἐπιτ. est med. (non passiv., ut satis argute statuunt plerique vett. interpr.), quod et ipsum (sed adiecto accusativo rei) legitur Xenoph. Apol. 33. Diod. Sic. 3, 57. 12, 54. Polyb. 2, 58, 10 al.; h. l. ita dic. ut sit q. *sibi finire* h. e. curam suam, studia sua finire, absolvere (bei sich abschliessen).

V. 4. εἰκῆ sine fructu, temere 4, 11. 1 Cor. 15, 2. πάσχ. plerique interpr. expl. de calamitatibus et periculis, quae ipsis subeunda fuerant propter rel. christ. v. Chrysost. Theodoret. Oecum. Calvin. Piscat. Cramer. Semler. Mor. cet., nec huic interpretationi nihil commendationis inde accedit, quod πάσχειν in N. T. suam quasi sedem habet in denotandis suppliciis et calamitatibus; sed cum et in superiorib. (v. 2. τὸ πνεῦμα ἐλάβ.) et in seqq. (v. 5. ἐπιχορ. ὑμῖν τὸ πν. καὶ ἐνεργ. δυνάμ.) *beneficia* celebrentur, per Christum in Galatas delata, nec probabile sit Galatis iam tum rem christianam *multarum*

calamitatum fuisse caussam [17]), satius videtur cum Hombergio, Kypkio, Koppio, Borgero, Flatto cet. πάσχ. in bonam partem accipere: *tanta experti estis* h. e. tanta *vobis contigerunt.* Cf. in hunc voc. usum Chares ap. Stob. 17. p. 156. γαστρὸς δὲ πειρῶ πᾶσαν ἡνίαν κρατεῖν, μόνη γὰρ ὧν πέπονθεν οὐκ ἔχει χάριν, Dion. Hal. 7, p. 457. *hanc vobis gratiam reddit* ἀνθ' ὧν ἔπαθε πολλῶν ὄντων καὶ μεγάλων. Eurip. Med. 475. Joseph. Antt. 3, 15, 1. τὸν θεὸν ὑπομνῆσαι ὅσα παθόντες ἐξ αὐτοῦ - - ἀχάριστοι πρὸς αὐτὸν γένοιντο. — εἴγε καὶ εἰκῇ i. e. *quandoquidem, siquidem* (2 Cor. 5, 3. Lucian. mort. 6, 1. Philostr. Apoll. 2, 22. Sext. Emp. Hypot. 3, 2. Aelian. V. H. 3, 17.) *etiam frustra* i. e. puto equidem, ista omnia vobis frustra contigisse. Alii (ut Stolzius, de Wettius): *siquidem* (quod Deus avertat), wenn anders, sed hoc est εἴπερ (v. quae de his voc. subtiliter disseruit Herm. ad Vig. p. 834., unde reliqui etiam loci Paullini Eph. 3, 2. 4, 21. Col. 1, 23. lucem accipiunt) nec καί potest superfluum indicari.

V. 5. Accuratius explicat, quae v. 3. de πνεύμ. tetigerat. ἐπιχορηγ. (quod pr. est chorum, ludos publicos cet. suo sumtu instituere) ap. Paull. significat liberaliter alicui al. tribuere, suppeditare (Dion. Hal. epist. 1, 1.) 2 Cor. 9, 10. cf. χορηγεῖν 2 Cor. 9, 10. ἐπιχορηγία Ephes. 4, 16. Particip. praes. ἐπιχορ. et ἐνεργ. vel pro subst. posita sunt v. ad 1, 23. (der Geber cet.) vel indicant largitionis perpetuitatem. — δυν. velut τοῦ γλώσσῃ λαλεῖν, τῶν ἰαμάτων cet. 1 Cor. 12. Ceterum deest verbum hoc modo supplendum: utrum *is, qui haec vobis largitur, ex fide an ex operibus* (fide an operibus motus) facit. — V. 6. καθ. sc. *ita*

---

17) Non audiendus enim Semlerus, qui illud τοσ. ἐπάθετε ad *doctores*, quippe a Judaeis et Judaizantibus male vexatos, pertinere arbitratur.

vobis accidit. Falluntur, qui καθώς passim esse pro οὕτως statuunt. — ἐπίστ. cet. sumta haec sunt e loco nobili Gen. 15, 6. cf. Rom. 4, 9; *fidem habuit* Abr. Deo posterorum felicitatem promittenti et propter hanc fidem Deus Abrahamum *in hominum* δικαίων *numero habuit;* δίκαιοι vero sunt ex Pauli mente illi, quibus, quin Deo, summo integritatis existimatori, probentur, nihil deest. In loco autem Gen. verba hebr. non sunt ad hanc subtilitatem dogmaticam exigenda, sed simpliciter hoc sibi volunt: id Deus pro pietatis documento habuit. — γινώσκ. imper. ut Vulg. et Syr. (Boysen Erläut. p. 83 sq.) v. Calvin. et Bengel. ad h. l. — υἱοὶ 'Αβρ. emphat *veri Abr. posteri* cf. Rom. 9, 7. Carpit Judaeos, qui se solos propter originem e gente Abrah. (κατὰ σάρκα) υἱοὺς 'Αβρ. esse existimarunt. Cet cf. Schöttgen. ad h. l. In voce οὗτοι vim inesse patet.

V. 8. προϊδοῦσα γραφή i e. auctor scripturae, spiritus divinus. Eandem metonymiam v. Rom. 4, 3. Joh. 7, 38. Syr. haec Deo tribuit. δικαιοῖ non est pro fut. sed sign. id, quod in deum omnino cadit. — ὅτι εὐλογηθήσ. etc. haec conflata sunt e duobus V. T. locis Gen. 12, 3. 18, 18. — πάντα ἔθν. homines omnes sine discrimine, Judaei fuerint Ethnicive. — V. 9. σὺν τῷ πιστῷ 'Αβρ. *cum Abr.* tanquam parente et antesignano, qui primus hanc εὐλογίαν accepit. Alii simpl. dictum putant pro ὡς ὁ πιστ. 'Αβρ. Sed id certe ex loco Rom. 8, 32. effici nequit. Cf. tam. Ps. 146, 6.

V. 10. ἐξ ἔργ. νόμ. εἰσί h. e. qui factis legi consentaneis omnem vim tribuunt. Lutherus (quem imitatur de Wettius): die, so mit des Ges. Werken umgehen, non male: εἶναι ἐκ, ut alibi, significat, *pendere aliquem ab al. re,* stare ab aliqua parte. — κατάρ. poenae divinae, lege mos. constitutae, ut קְלָלָה Deut. 11, 26. Ps 109, 17. oppos. τῇ εὐλογίᾳ v. 10. Sens.: lex enim praeceptis suis minas addidit, adeoque miseriam parit illis, qui legem

neglexerunt; de form. Paullina εἶναι ὑπό τι (gegeben unter die Gewalt) Rom. 3, 9. v. Valcken. ad 1 Cor. 9, 20. — γέγρ. Deut. 27, 26. De voc. ἐπικ. et iis, quae finitima sunt, cf. Pott. Exc. 1. ad epp. cathol. II, p. 274 sqq — πᾶσι, quod in hac Apostoli argumentatione non caret vi, frustra quaeres in textu hebr, sed legitur ap. LXX. et in vers. Samar. ἐμμένειν (ἐν) τινι (ut μένειν ἐπί τινι) Graecis etiam sexcenties est: *perseverare in al. re, constanter aliquid facere* (Act. 14, 22. Hebr. 8, 9.) Xenoph. rep. Athen. 2, 17. Aristoph. Rhet. 1, 15. Plat. legg. 8, p. 840. Epictet. 74. Diod. Sic. 15, 19. Isocr. Evagor. p. 486. adv. Gallim. p. 892. (ἐμμένειν τοῖς νόμοις Xenoph. Mem. 4, 4. 4.) Lat. *manere in* (Corn. Nep. 17, 2.) cf. Duker. ad Flor. 4, 2, 17. Ceterum eandem argumentationem persequitur Just. Mart. c. Tryph. p. 345. Thirlb. cf. etiam Jac. 2, 10.

V. 11. ὅτι δέ etc. Propter legis (mos.) studium neminem deo probari, (inde) patet, quod etc. Ita Luther., Calvinus, Grotius, Baumgarten., Cramerus, Michaelis, Stolzius al.; contra Beza et Hombergius (cui Flattus nuper accessit) interpretantur: *cum per legem nemo iustificetur coram Deo, manifestum est, iustum ex fide vivere.* Parum recte hoc [18]); nam inest, si quid video, novum quoddam argumentum; scil. ex loco Deut. 27, 26. hoc duntaxat sequitur, poenas div. incurrere, quicunque non *totam* legem observet; sed neminem eiusmodi religiosa observatione vitam consequi, id declarat P. Habacuci verbis. Si homo pius, inquit, ex fide vitam consequitur, apparet, legem legisque observationem non esse eius rei

18) Nihil est, quod Flattus dicit, ap. P. δῆλον ὅτι semper significare: *es ist offenbar dass.* Nam eadem h. l. est sententia verbi, nisi quod, quae vim habent ὅτι ἐν νόμῳ cet. *praemissa* sunt, atque id recte. Vertas: dass niemand cet., ist offenbar, weil cet.

caussam. ἐν νόμ. i. e. legis studio (*in lege* quasi vivens). — δῆλ. ὅτι v. Habac. 2, 4. cf. Rom. 1, 17. Disputat propheta de exilii babylon. exitu atque docet, neminem superstitem futurum h. e. in patriam rediturum esse, nisi in quo sit אֱמוּנָה h. e. ea adversus Deum pietas, qua ipsi simpliciter confidis. Ex Paulli mente verba ὁ δίκ. ἐκ π. ζήσ., sive ἐκ πίστ. iungas voci ὁ δίκ. (quod parum recte fecit Knappius, contradicente Tischero) sive ei, quod sequitur, ζήσ., ita vertenda sunt: nemo potest Deo probari atq. adeo salutem (aeternam) nancisci, nisi ἐκ πίστ. h. e. per fidem Christo habitam. Sed si rei naturam spectas, ista Israelitarum πίστις non diversa fuit ab hac, quam P. postulat.

V. 12. νόμος οὐκ ἔστιν ἐκ πίστ. *lex non est* nexa *e fide,* fides nihil pertinet ad legem. Theodoret.: ὁ νόμος οὐ πίστιν ζητεῖ, ἀλλὰ πρᾶξιν ἀπαιτεῖ, καὶ τοῖς φυλάττουσι τὴν ζωὴν ἐπαγγέλλεται. — ἀλλ' sc. de lege hoc valet, in legem cadit, quod script. docet cf. Rom. 9, 7. Arabs interposuit haec: بل من الانسان *sed ex homine.* — ὁ ποιήσ. cet. v. Lev. 18, 5. ἄνθρωπ. omittunt libri bonae notae A B C D F et verss. antiquae; ac poterat illud vel ex LXX vel ex loco Rom. 10, 5. invehi. Certe in v. ποιήσας omnis sententiae vis posita. αὐτ. leges mos., τὰ κρίματα τοῦ θεοῦ, quod praecedit l. c.; ἐν αὐτ. *per eas,* ita ut *in* his legibus vitae quasi fons insit. Sens.: si quis legibus observandis operam dedit, is hanc ipsam ob caussam salutem *suo quodam iure* consequetur: itaque non opus habet Dei benignitate, qualis contigit illis, qui ἐκ πίστ. salutem nanciscuntur.

V. 13. Redit ad v. 10. ἐξηγόρασ. redemit dato pretio sc. morte sua cruenta Gal. 4, 5. ἡμᾶς *Judaeos,* quibus proprie scripta erat lex Mos., et *paganos,* ad quos et ipsos pertineret, si perpetuam vim haberet, si a Christo

non esset sublata. — κατάρ. τ. νόμου sunt poenae, quae nobis legem transgressis subeundae erant. κατάραν vero (abstr. pro concr.) Christum dixit concinnitatis studio. κατάρα i. q. κατάρατος. Simil. in Protev. Jac. c. 3. ἐγὼ κατάρα ἐγεννήθην. — γέγρ Deut. 21, 23. LXX hebraica sic transtulerunt: κεκατηραμένος ὑπὸ θεοῦ πᾶς κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου. Cet. v. Rosenmüller. ad istum loc. ἐπικατ. sc. ἐστί, divinam κατάραν perfert quicunque cet. — V. 14. ἵνα pendet a γενόμ. κατ., *eo consilio, ut*[19]). εὐλ. 'Αβρ. felicitas Abrah. (Abr. posteris) promissa. ἐν Χρ. per Christum h. e. mortis Christi beneficio, vel accuratius: *quatenus in Christo sunt,* Christo per fidem inseruntur (ut loquitur Piscator). — ἐπαγγ. πν. h e bona illa, quae a divino spiritu promissa sunt cf. Luc. 24, 49. Hebr. 6, 12. 10, 36 Alii intelligunt ipsum illud πνεῦμα (quod τοῖς πιστοῖς contingit) divinitus promissum, ita ut πν. sit genit. obiecti, quem dicunt, Act 2, 33.

V. 15. κ. ἄνθρ. est solennis apud Paullum formula Rom. 3, 5. (ad quem l. v. Tholuccius) 1 Cor. 9, 8. eaque a Rabbinis petita (דאמרי אנשי v. Schoettgen. ad Rom 6, 19). Sensus semper idem: accommodate ad communem hominum agendi, sentiendi loquendique rationem (cf. Xen. Mem. 4, 4, 24. Diod Sic. 16, 11 II, p 90. ed. Wesseling.). Bene ad h. l Theophyl.: ἀνθρώπινον ὑπόδειγμα μέλλω ὑμῖν παραγαγεῖν. — ὅμως pertinet ad ἀθετ.: *dispositionem* quamvis *ab homine* profectam *tamen nemo*

---

19) Oecumen. ἀντίθεσιν ὑπαντοῦσαν λύει. ὁ 'Αβρ. φησί, διὰ τοῦτο ἐδικαιώθη ἐκ πίστεως ὅτι πρὸ τοῦ νόμου ὢν οὐκ ἦν ὑπὸ τὸν ζυγὸν τοῦ νόμου. ὅτι μὲν γάρ, φησίν, ἡ πίστις δικαιοῖ πείθομεθα, ἀλλὰ τοὺς μὴ γενομένους ὑπὸ τὸν νόμον, ὥςπερ καὶ τὸν 'Αβρ. ἡμᾶς δὲ ἤδη ὑπὸ τὸν νόμον γενομένους, εἴπερ αὐτὸν ἀπολίπωμεν καὶ τῇ πίστει μόνῃ ἀρκεσθῶμεν, τίς λυτρώσεται ἐκ τῆς κατάρας τοῦ νόμου; Cet. v. ad h. l. Vitringae observ. sacr. 1, 12. p. 435 sqq.

rescindit. Hac vocis ὅμως traiectione nil fere crebrius ap. Graecos cf. Herm. ad Sophocl. Ai 15. Döderlein ad Soph. Oedip. Col p. 396. Adde 1 Cor. 14, 7. Falluntur, qui *adeo, vel* vertunt (ea voc. vis nec Joseph. Antt. 20, 1. 1. Vit. 29. obtinet). — διαθήκη videtur h. l late patere, quemadmodum Lat. *dispositio,* ita ut sit (a διατίθεσθαι): voluntas rite declarata, in tabulis perscripta (jede menschl. Feststellung, Willensverfügung). Itaque complectitur etiam *testamentum* (Hebr. 9, 16. 17.), neque tamen hoc solum. Stolz.: eines Menschen (rechtskräftige) Stiftung. Non dissentit Calvinus. (Alii vertunt h. etiam l. *foedus,* ut Semlerus, Morus, Koppius ed. 2. „foederis cuiusque, inter homines adeo, ea est veneratio, ut, si sit semel sancitum, non facile quisquam illud violet aut in contrarium aliquid moliatur.“ add. Jaspis. et de Wettius; sed ista promissionis div. comparatio cum *foedere* ab hoc certe loco aliena.) — κυροῦσθαι dici constat ea, quae (publice) confirmantur rataque fiunt, quibus legitima accedit auctoritas, Gen. 23, 20. Lev. 25, 30. add. Thuc. 8, 69. Dio Cass. 38, 6. Aelian. V. H. 2, 9. Polyb. 1, 11 3. 1, 17. 1. — ἐπιδιατ. insuper aliquid addere, inpr. quod sit voluntati eius, qui διαθήκην fecit, contrarium. Eiusmodi additamenta vocant Graeci ἐπιδιαθήκην, Joseph. b Jud 2, 2 3. Syr. non male: *mutat in eo aliquid.*

V. 16. Pro ἐῤῥήθησαν in optimis libris est ἐῤῥέθησαν, quam scripturam ab atticis alienam volunt Grammatici, quanquam in horum etiam scriptorum praestantissimis codd. reperitur v. Lobeck. ad Phryn. p. 447. Bekker. ad Aeschin. 2, 34. 124. — λέγ. *heisst es* v. intpt. ad Rom. 15, 11. Eph. 5, 14., nisi h. l. ex v. ἐῤῥήθ. repetere velis: is a quo dictae sunt αἱ ἐπαγγ. Plur. ἐπαγγελίαι (una enim illa promissio identidem facta est) habes etiam Hebr. 7, 6. — ὡς ἐπὶ πολλ. ut si ad plures

spectaret promissio. ἐπί i. e. *super, de* 2 Cor. 7, 14. Aelian. V. H. 1, 30. Plat. Charm. p. 155. D. Legg. 2, 7. p. 662. Bene iam viderunt interpretes, hanc P. argumentationem hominum iudaicorum, quibuscum ageret, ingeniis [20]) magis, quam linguae hebr. rationibus accommodatam esse: זֶרַע enim non est *nomen unitatis*, quod dicunt, sed significat sensu collectivo *prolem, sobolem* omnem, sive uno (Gen. 4, 25. cf. LXX. Deut. 25, 5.), sive pluribus hominibus constat; plural. זְרָעִים dicuntur *semina* i. e. vel Sämereien vel Saamenkörner cf. 1 Sam. 8, 15. Verbis ὅς ἐστι χρ. Christi personam potissimum dicit P. non *ecclesiam christianam* (ut placuit Bezae, Ernestio, Nösselto Exerc. 145 sqq. all.); etenim si vel significaret ὁ χρ. coetum christ. (ex allegorica disputatione 2 Cor. 12, 12.

---

20) Solent enim Judaeorum magistri et ipsi singularem vel pluralem vocc. numerum nonnullis in locis S. S. ita premere, ut inde argumenta ducant, v. exempla ap. Surenhus. in βίβλῳ καταλλ. p. 84 sq. Borger. p. 203. Schöttgen. p. 736. cet. cf. Baueri Logic. Paull. p. 125 sq. Ita (quod ad hanc Paulli disputationem proxime accedit) Gen. 4, 25. 19, 32. זֶרַע singul. de *uno* Messia explicari iubent Rabbini (Breschith rabb. 23, 7. Ruth rabb. 4, 20.). Flattus vero (in Opusc. p. 475 sqq.) cum talem argumentationem Paulo indignam esse censeret, in contortam hanc explicationem delapsus est: „non vult script. s. illud τῷ σπέρμ. *collective* de omni posteritate, sed de uno tantum intelligi.“ Nempe hoc debebat alio modo dici; sufficiebat οὐ λεγ. ὡς ἐπὶ πολλῶν, ἀλλ' ὡς ἐφ' ἑνός, sed cum repetat P. verba Gen. et singularem σπέρμ., qui isto loco habetur, plurali, qui isto loco non habetur, opponat, luce clarius apparet, eum e *numero* vocis conclusionem facere. Nec in hac disputatione iudicanda quaeritur, an σπέρμα passim de *uno* homine occurrat. Sed non occurrit nisi eadem lege, qua hebr. זֶרַע (v. supra); et huc redeunt loci a Flatto ex LXX allati omnes Gen. 3, 15. 4, 25. 21, 13.; loco autem 2 Cor. 11, 22. qua ratione Flattus ad sententiam suam confirmandam abuti potuerit, non assequor. Ceter. cf. quae bene in hunc locum disputavit Calvinus.

id probari nequit) tamen h. l., ubi toties Christus appellatur, valde ambiguum esset istud voc. Et v. 19., ubi haec sentent. iteratur, vix tibi licebit christ. ecclesiam intelligere. Assentientes habeo (praeter veteres) Borgerum, Koppium all.

V. 17. τοῦτο δὲ λέγ. *hoc mihi volo*, quae formula est eius qui accuratius mentem explicat. Rom. 15, 8. Gal. 4, 1. 5, 26. — προκ. εἰς Χρ. quod *ante* h. e. antequam lex mos. existeret, *sancitum* est *in Christum* (auf Christus), tanquam qui praestiturus esset illa a Deo promissa. Morus et Borgerus: *ad Christum* h. e. ut valeret usque ad illa tempora, quibus adventurus esset Messias; hoc, opinor, esset μέχρι Χρ. Verba εἰς Χρ. desunt in codd. A B C al., in vers. memph. aeth. armen. vulg. Itaque eiici iussit Millius, iure castigatus hoc nomine a Whitbyo. Nam cum antecedat ὁ Χρ., facile poterant ista verba a librariis praetermitti. μετὰ ἔτη etc. hi 430 anni complectuntur temporis spatium, quod ingressum in Aegyptum inter et legis mos. promulgationem interiectum medium erat. Accuratius P. inde ab Abrahamo ducere debebat annorum computationem. Sed ille fuit numerus nobilis Exod. 12, 40. (Joseph. antt. 2, 15. 2.), de quo v. Koppius in Potti Sylloge II. p. 255 sqq. cf. Michael. orient. Bibl. XII. p. 22 sqq. [21]). — εἰς τ. καταργῆσαι τ. ἐπαγγελ. ut vi sua privet, tollat (ἀθετεῖν v. 15. cf. 2 Tim. 1, 10.) divinam promissionem Abrahamo datam, Rom. 3, 21. 1 Cor. 6, 13. Gal. 5, 11. Eph. 2, 15. al.; in graecis scriptoribus *hoc* sensu legere non memini. — V. 18. οὐκέτι ἐξ ἐπ.

21) Sunt tamen, qui hos ipsos 430 annos ab Abrahami tempore numerandos arbitrentur (v. Oecum. et quos laudat Wolfius ad h. l.); verum id non potest nisi multis adhibitis artibus fieri. Cf. etiam Augustin. civ. D. 16, 24.

apodosis. οὐκέτι non est pro οὐκ[22]), quemadmod. vult Bretschneiderus in lex. Vertas c. Hieron.: *iam non* (cum haec ita sint) *ex lege*. Simil. locus est Rom. 11, 6; cet. recte expressit istud οὐκέτι Syr. Philox. Vocabulo χαρίζεσθαι utitur P., quod ista κληρονομία homini *gratis* h. e. sine ipsius merito, tribuitur cf. 1 Cor. 2, 12. τὰ ὑπὸ θεοῦ χαρισθέντα ἡμῖν, add. Phil. 1, 29. 2, 9.

SECTIO SEXTA.

CAP. III. v. 19. — IV. v. 7.

Accessit lex ad coarguendam vitiositatem (v. 19. 20.), nec promissioni isti Abrahamo factae adversatur, quippe quae (lex) non ipsa felicitatem allatura esset v. 25.; sed data est tanquam paedagogus, donec Christus veniret (v. 22—25.). Is autem filiorum Dei iura nobis impertivit (v. 26.) omnesque, qui ipsi fidem habent, felicitatis participes reddidit (v. 27—29.). Scilicet quemadmodum, qui tutoribus et magistris parent, servili utuntur sorte (v. 1. 2.), ita homines etiam ante Christi adventum, τοῖς στοιχείοις τοῦ κόσμου *tanquam paedagogo subiecti, servorum instar erant (v. 3.). Sed ab hac servitute liberavit eos Christus, efficiens, ut ad Dei filiorum dignitatem atque adeo felicitatis promissae spem eveherentur (v. 4—7.).*

V. 19. Dicere aliquis possit: Si Abrahamo eiusque posteris beneficia divina contingunt sola promissionis vi,

---

22) Quanquam, quod huic voci contrarium est, οὔπω pro simpl. οὐ poni constat v. Boissonade ad Philostr. Heroic. p. 502. Jacobs. ad Philostr. Imag. p. 357. cf. interpt. ad Joh. 7, 8.

legis mosaicae nulla fuit necessitas, nullus usus: nihil enim concedi potest hominibus aeterna felicitate maius aut praestantius; iam haec *gratis* promissa fuit: quid igitur commodi e legis obsequio nasci potuit? quo *consilio* lata est lex, quid sibi voluit? — παραβ. χάρ. *peccatorum gratia* (χάριν dicit, non ἕνεκα) h. e. ut manifestam redderet (διὰ γὰρ νόμου ἐπίγνωσις ἁμαρτίας Rom. 3, 20. 7, 7) atque ita argueret illam, quam Judaei peccando sibi contrahebant, culpam v. Calvin. ad h. l. 'Ita autem non poterant non peccata aliquantum coerceri.' Quod vero Beza addit, hominum animos sic ad eorum etiam, quae ἐν Χριστῷ promissa erant, desiderium erigi debuisse, id quanquam recte disputatum est, tamen ab hoc l. alienum videtur, cf. v. 21. 24. — προςετ. praeter istam promissionem lata etiam est lex, *accessit, addita est* ad illam ἐπαγγελίαν. Sim. Rom. 5, 20. παρειςῆλθε. Sed pro προςετέθη legitur ἐτέθη in codd. D F G, Verss. arab. vulg., ap. Clem. Strom. I, p. 421. Iren. 3, 7. Orig. ad Rom. 7, 7. Hieron. al., probantibus Millio, Bengelio, Borgero ac propemodum etiam Griesbachio; proni enim sunt librarii ad invehenda compos. verba pro simplic., ubi ista aptiora videntur v. Rom. 14, 9. 1 Cor. 5, 2. Act. 3, 22. Jac. 5, 9. al., cf. Schäfer ad Demosth. V. p. 196. Sed h. l. dubitaverim ἐτέθη, si scriptum esset, quemquam offendere potuisse. — ᾧ ἐπήγγελτ. in quem facta erat, quem spectabat promissio, i. q. εἰς ὃν κεκυρωμένη (ἡ διαθήκη) v. 17. — διατάσσειν Graecis etiam de legibus dici constat, Hesiod. ἔργ. 252. cf. Act. 7, 53. — δι' ἀγγελ. Ea de re nihil legitur Exod. 19. Sed invaluerat apud Judaeos seriores (qui in rebus hebraicis exornandis toti erant et angelis potissimum permultum tribuebant ad eosque saepenumero, quae in antiquis libris de Jova ipso dicta essent, referebant, v. diss. nostr.

Samar. p. 60.) haec opinio, ut in lege mos. ferenda contenderent a Jova adhibitos esse angelos, cuius opinionis prima quasi stamina deprehenduntur in vers. LXX. Deut. 33, 2. ubi pro מימינו אש דת למו posita sunt haec: ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ ἄγγελοι μετ' αὐτοῦ. Sed luculentiora testimonia exhibent libri Talmudici. Jalkut rubeni f. 107, 3: Deus Mosen legem docuit; cum autem descenderet, tanto timore perculsus est, ut omnium oblivisceretur. Deus autem statim Jesifiam angelum legis vocavit, qui ipsi legem tradidit ordinatam et custoditam, omnesque angeli amici eius facti sunt. Echa rabb. praef. f. 40, 1: ivit Mos. ad angelos ministerii, quia eos *noverat a tempore datae legis.* Adde Act. 7, 53. Hebr. 2, 2. (v. Carpzov. exercitt. in Ep. ad Hebr. p. 95 sqq. [23]) et Carm. Sam. ed. a Gesenio p. 70. et 79.). Pertinet etiam huc, si quid video, loc. Josephi antt. 15, 5, 3. ἡμῶν τὰ κάλλιστα τῶν δογμάτων καὶ τὰ ὁσιώτατα τῶν ἐν τοῖς νόμοις δι' ἀγγέλων παρὰ τοῦ θεοῦ μαθέντων, quae verba cur de *prophetis* interpretari Krebsius velit, non capio, cf. omnino Elsner. diss. legem mos. per angelos etc. promulgatam esse. Lugd. B. 1719. 4. Itaque repudiandus Zegerus est, qui ἀγγέλους Mosen et Aaronem esse putat. — ἐν χειρ. μεσίτ. *manu interpretis* (quippe qui legis ab angelis acceptae tabulas manu de monte deferret, Exod. 32, 15.) vel. omn. *opera, ministerio* (Lev. 8, 36. Jos. 14, 2. al.) *interpretis* sc. Mosis. Ille populi, quemadmodum angeli Dei, nomine agebat. Hinc apud iudaicos magistros ista fuit solennis Mosis appellatio סרסור, Sche-

---

23) In hunc totum locum nuper docte commentatus est E. Schmiederus, Prof. Portensis (prodiit Numburg. Sax. 1826. 4.).

moth R. 3. in Exod. 3, 13. Bemidbar R. 12, 3. add. Philon. de vit. Mos. II, p. 678.[24]).

V. 20. Locus nobilis multumque vexatus ab interpretibus v. Excurs. 3. Equidem sic existimo. ὁ μεσίτ. est *generatim* dictum (v. Joh. 10, 11. 16, 21. 1 Cor. 11, 10. Rom. 9, 21. cf. theol. Nachricht. 1809. p. 381 sqq. Grammat. N. T. p. 97.): non potest μεσίτης cogitari aut fingi, qui sit ἑνός unius h. e. *unius partis*[25]), ὁ δὲ ϑ. εἷς ἐστ.

---

24) Megill. perek 4. R. Samuel - - contulit se in synagogam viditque angelum ecclesiae legentem neminemque iuxta eum. Ait illi: hoc non licet; *data est enim lex manu mediatoris;* ita manu quoque mediatoris est tradenda. Schem. l. c. dixit Moses ad Deum: ego constituendus sum mediator inter te et illos, quando ipsis legem es daturus etc.; Tanch. l. c.: tu es mediator inter nos et illum et fregisti tabulas, propterea illae sunt a te reficiendae. Add. Schoettgen. p. 708 sq. — Cet. nescio quid sibi velit Schmiederus p. 11. his verbis: „vel ap. iud. scriptores Moses non absolute μεσ. vocatur ita ut pro ipsius nomine illa appellatio substituatur, et minime Paulo talis abusus (?) convenire videtur, qui 1 Tim. 2, 5. unum esse mediatorem Christum cum emphasi contendit.“ *Absolute* nec potuit Moses μεσίτης vocari nec h. l. vocatur, sed, ubi de *legis israel. promulgatione* agitur, nemini potuit haec appellatio fraudi esse, certe nemini Judaeorum; et in tali sententiarum nexu Mosen *mediatorem* vocari, ostendit locus ille primus a nobis allatus. Si vero P. alibi Christum unum esse mediatorem contendit, patet, μεσίτου vocabulo longe augustiorem sensum inesse; inde quod Chr. nunc quidem unus est Deum inter et hum. genus μεσίτης eo sensu, quo Ap. vult, non sequitur, olim a Deo in re sacra nullum omnino potuisse internuncium adhiberi. Et ipse ille Metatron, quem Schm. in locum n. invexit, μεσίτης fuit, licet angelos inter et Israel., tamen auctoritate Dei missus.

25) Non opus, ut μέρους suppleamus h. e. a scriptore praetermissum esse putemus. ἑνός est *unius;* verum hoc dic. pro eo, quod accuratius dici poterat, ἑνὸς μέρους, ut si vernacule scribas: ein Mittler bezieht sich nicht auf einen Einzigen h. e. eine einzige Partei. Fuerunt autem qui crederent, ex nostra interpretatione scribi debuisse ὁ δὲ ϑεὸς ὁ εἷς ἐστι. Tu transferas modo in sermonem

Deus autem unus, una (altera) tantummodo pars est [26]): itaque quaenam est altera? gens israel. Jam si hoc, sponte efficitur, legem mos. pertinere etiam ad Judaeos, hosque legi isti observandae adstrictos fuisse. Puto igitur, hunc esse sententiarum nexum: non videntur verba, de quibus quaeritur, *primariam* quandam sententiam continere, h. e. talem, quae necessario pertineat ad hanc disputationem,

---

vern.: *Gott aber ist einer (ein einziger, nicht zwei)*, atque videbis, non opus esse articulo; quanquam *potuisse* eum addi haud nego: *Gott ist der eine.* Denique non intelligo, qua ratione Schmiederus aposiopesin h. l. duram esse iudicet. Profecto si haec seorsim scripta essent: ὁ θεὸς εἷς ἐστίν, nemo posset εἷς de *altero* quodam explicare; sed cum praecedat ὁ δὲ μεσ. ἑνὸς οὐκ ἐστίν, quae verba recte verti possunt: *interpres non est unius* (partis), unicuique patebat, de *duabus* hic partibus quaeri, itaque, si Apost. de *una* tantummodo parte addat, *alteram* debere a lectoribus adiici. Nec poterat quisquam dubius haerere, quae esset ista altera pars. De lege enim a Deo *genti israel.* proposita agitur.

26) Non puto, ut Ven. Lueckius (theol. Studien und Krit. I. p. 86.) statuit, ἐστι positum esse pro ἦν; praesenti utitur P. tanquam in re, de qua *nunc* quaeritur (nicht als geschichtl. Factum, sondern als Gegenstand der gegenwärtigen Argumentation): *Gott aber ist* (erscheint, stellt sich dar) in der mos. Gesetzgeb. als *einer*. Parum etiam hoc me movet, quod vir praeclarus mihique pie colendus dicit: das δέ (in v. ὁ δὲ θεὸς cet.) scheint eben dadurch, dass es dem negat. ὁ δὲ μεσ. cet. das affirmative ὁ θεὸς εἷς ἐστι gegenüberstellt, anzudeuten, dass beide Sätze auf gleicher Linie der Allgemeinheit stehen." Nam si hoc verum, nunquam licebat Graecis in conclusionibus, quarum propositionem universalem specialis excipit, δέ dicere. Id, quis contendere ausit? Haec: *Deus expers est corruptionis, Alexander autem corruptioni obnoxius sistitur in historiis* (ergo Al. non fuit D.), quidni potuerint in populari certe oratione ita exprimi, ut specialis sententia, intercedente voc. δέ, a generali ista necteretur? Itaque non voc. δέ, non angustae sententiae cum latius patente connexio, sed ipse ille sensus, quem in verbis ὁ θ. εἷς ἐστ. subesse iam pridem sibi persuaserat, virum doctum in istam videtur deduxisse opinionem.

sed obiter interposita sunt quasi in parenthesi; id patet ex ipsa, qua sententiae v. 19—20. inter se iunctae sunt, ratione, et bene procedit oratio, verbis illis omissis: τῶν παρ. χ. ἐτέθη, ἄχρὶς οὗ ἔλθῃ τὸ σπέρμα, ᾧ ἐπήγγελται. ὁ οὖν νόμος κατὰ τ. ἐπαγγ. τ. θεοῦ; Quonam igitur consilio interposita sunt? ut P., qui verbis τῶν παρ. χάρ. ἐτέθη legis auctoritatem aliquantulum elevasse eiusque honori detraxisse videretur, originem eius divinam et in gente hebr. vim illustraret et denuo stabiliret. Itaque dicit hoc: lex mos. data fuit peccatorum gratia: propterea vero non est, quod quis eam tanquam ista ἐπαγγελίᾳ longe inferiorem contemnat: data enim et ipsa est *auctoritate divina* (διατ. δι' ἀγγ.) gentique hebraicae tanquam agendi norma proposita ἐν χ. μεσ., ὃς οὐκ ἔστιν ἑνός [27]). Haec loci difficillimi interpretatio, quam multum abest ut equidem pro unice vera venditare cupiam, aliquam commendationem accipere videtur et a facilitate, quae est idonearum explicationum certissima nota, et inde, quod sic, verba διαταγ. τ. ἀγγ. etc. cur hic potissimum adiecta sint et quorsum pertineant, satis patet.

V. 21. Dicit hoc: si et promissio illa et lex mos. a Deo profecta est, efficitur, utramque inter se pugnare legemque promissioni contrariam esse, ac vicissim. Quo-

---

27) *Hoc*, dicat aliquis, *satis constabat inter Judaeos* (v. Lücke p. 87.)! Recte. Sed videbatur Paulus huic sententiae contradixisse, ejus igitur fuit ostendere, *se* (quemadmodum omnes Judaei) prorsus alienum esse ab elevanda legis mos. dignitate. Enimvero, si haec non fuit Ap. mens, quo tandem consilio νόμον dixit διαταγέντα δι' ἀγγ. ἐν χειρὶ μεσ.? quorsum hae verborum ampullae? quasi id Judaei ignorassent! ceterum non video, cur δέ in v. 20. principio non possit vim epexegeticam habere. *Caussam* vero additorum istorum verborum quaeras mecum in nom. μεσίτου, quod sua sponte ducebat ad istam sententiam.

modo igitur haec difficultas expediri poterit? Oecum. bene: οὐ μόνον οὐ γέγονε (ὁ νόμος) κατ' αὐτῶν, ἀλλά γε τρόπον τινὰ καὶ συνήργησε αὐταῖς· δι' ὧν γὰρ οὐκ ἔσωσεν οὐδὲ ἐδικαίωσεν, ἐπὶ τὴν πίστιν καταφυγεῖν προετρέψατο· cf. v. 24. — εἰ γὰρ ἐδόθη cet. *si data esset lex, quae vitam efficere posset* (cf. 2 Cor. 3, 6.) sc. ad sinceram et perfectam δικαιοσύνην (qualis e πίστει oritur) fingendo homines Rom. 8, 2. *Quid* potuerit lex, dixit v. 19. coll. v. 10. — V. 22. συνέκλεισεν ἡ γραφὴ τὰ πάντα etc. scriptura sacra *subiecit* h. e. subiecta esse declaravit *omnia* sc. quae subiici poterant, omne hum. genus (Col. 1, 20. cf. Rom. 11, 32. et Theodor. ad h. l.)[28]) sine discrimine (Judaeos etiam qui lege utebantur!) *peccato* h. e. vitiositati et, quae inde oritur, culpae. συγκλ. εἴς τι (Ps. 30, 10. 77, 55. Amos 1, 6.) translate est: *potestati subiicere* Rom. 11, 32., a quo vocabuli usu nec Graeci abhorrent, Diod. Sic. 20, 74. Dionys. Halic. 8. p. 520, adde κατακλείειν νόμῳ Demosth. Phil. 1, 10, 1. et Aeschin. fals. leg. p. 252. εἰς συνθήκην κατακλείειν. — ἵνα δοθῇ quo appareret dari etc. τοῖς πιστ. abesse potuisse videbitur, nam inest in v. ἐκ πίστεως. Verum solet Apost. sententiam, in qua magna quaedam gravitas posita, bis eloqui; cf. supra v. 9. et Rom. 1, 17. Phil. 3. 9.

V. 23. πρὸ τοῦ δὲ ἐλθ. Pauci libri πρὸ δὲ τοῦ ἐλθ., sed nihil mutandum; saepe factum (invitis nimirum librariis), ut δέ post duo aut tria verba, quae arcte invicem iuncta sunt, poneretur v. Poppo ad Thuc. I, p. 302.

---

28) Calvinus neutrum πάντα premendum esse putavit. Ita enim ille: „*omnia* dicendo plus expressit, quam si *omnes* dixisset. Neque enim solos homines, sed quaecunque habent vel afferre possunt, complexus est.“ V. etiam Bengel.

Elmsley ad Eurip. Bacch. p. 28. ed. Lips., Gramm. N. T. p. 492. In talibus bonorum librorum auctoritas valet v. Bremi ad Lys. p. 180. Porson. et Schaefer. ad Eurip. Orest. p. 60. — ἐλϑ. τ. πίστ. h. e. antequam ἡ πίστις atque adeo certissima ad veram salutem perveniendi via hominibus aperiretur, bevor die πίστ. als das Mittel zur (wahren) Gottwohlgefälligkeit den Menschen gewährt wurde. Jam πίστις quidem non cogitari potest sine iis, quae *creduntur*, hinc autem non sequitur, πίστιν ipsam *doctrinam christ.* (obiect.) significare, ut plerique omnes volunt, ac mirifice dubito an haec potestas ullo loco in voc. πίστεως cadat. Haec certe, quae P. disputavit, ad *animi mentisque* conformationem unice pertinent. — ὑπὸ νόμ. ἐφρουρούμεϑα συγκεκλ. εἰς τ. μέλλουσαν πίστ. cet. non: *legi* (mos.) *obstricti tenebamur usque ad* (ita Morus, Koppius, Jaspis.), sed *legi obstricti* (in severam traditi legis disciplinam, quae ne in omnem libidinem effunderemur cavit) *custodiebamur*, *asservabamur in* etc., ut 1 Petr. 1, 4. τοὺς ἐν δυνάμει ϑεοῦ φρουρουμένους εἰς σωτηρίαν etc. Sap. 17, 16. (ita Calvinus, Piscator, Semlerus et Stolz.) v. ad v. 17. et cf. φρουρεῖν Phil. 4, 7. Voc. ἀποκαλ. de eadem re habes Mt. 11, 27. 1 Cor. 2, 10. Gal. 1, 16., similem vero verbor. traiectionem Rom. 8, 18. πρὸς τὴν μέλλ. δόξαν ἀποκαλ.

V. 24. παιδαγωγ. ἡμ. εἰς Χρ. lege utebamur tanq. paedagogo, qui nos severa disciplina coerceret (cf. συγκλείειν v. 23.), dum Chr. nos (adultos) ad patris ipsius consuetudinem adduceret i. e. opus fuit lege, quae homines nondum eo libertatis progressos, ut honesta sponte facerent, ab inhonestis minarum asperitate deterreret cet. Voc. παιδαγ. quanquam severitatem magistri, qui pueros custodit, potissimum significat, tamen non videtur a praeparationis (quae fingendo educandoque fit) notione prorsus

abhorrere [29]). Certe εἰς Χρ. (auf Chr.) dixit P., non μέχρι Χρ. Locus Simplicii, quem commemoravit Grotius ad h. l., est ad Epictet. c. 10. p. 116. ed. Schweigh. Ibi παιδεία μὲν γάρ, inquit, κυρίως ἡ τοῦ ἐν ἡμῖν παιδὸς ὑπὸ τοῦ ἐν ἡμῖν παιδαγωγοῦ ἐπανόρθωσις. καὶ παῖς μὲν ἡ ἐν ἡμῖν ἀλογία τὸ μὲν ὠφέλιμον μὴ ὁρεῦσα, πρὸς δὲ τὸ ἡδὺ τεταμένη μόνον, ὥςπερ οἱ παῖδες. παιδωγ. δὲ ὁ λόγος ῥυθμίζων ἀεὶ καὶ μετρῶν τὰς ἀλόγους ἐν ἡμῖν ὀρέξεις καὶ πρὸς τὸ ὠφέλιμον ἀπευθύνων αὐτάς cet. Add. Aeschin. dial. 3, 7. et Liban. 25. p. 576. — V. 26. υἱοὶ θεοῦ h. e. ad Deum, tanquam filii ad patrem admissi, non amplius, intercedente paedagogi disciplina, ab eo seiuncti 1 Cor. 4, 15. v. inpr. Noesselt. opusc. II. p. 337 sqq. Tales autem filii eam adepti sunt animi firmitatem, qua sponte faciant honesta Rom. 8, 14. Cet. ἐστε efficacius dictum quam ἐσμέν.

V. 27. ὅσ. εἰς Χρ. ἐβαπτ. (cf. Rom. 6, 2.). Baptismus enim πίστεως τῆς εἰς Χρ. (v. 26.) signum et professio est. Χρ ἐνδύσασθαι habes etiam Rom. 13, 14. sed paullo aliter. Calvinus: utitur, inquit, similitudine vestis, quum dicit, Galatas *Christum induisse,* sed intelligit, Christo sic esse insitos, ut coram Deo nomen ac personam

---

29) Frustra est Boltenius, qui, ut ineptae suae coniecturae (v. Prolegg. p. 13.) ex hoc loco commendationis aliquid petat, scriptum a Paulo fuisse contendit chald. חָרָא, quod, cum et *vinculum* et *magistrum* significare posset, interpres minus recte παιδαγωγοῦ vocabulo expresserit. Sed, ut taceam, me voc. חרא (magister) in chaldaicis libris nunquam reperisse (fortasse in mente habuit B. חירא vel syr. חראא *ductor, dux*): παιδαγ. a Paulo ipso scriptum esse, docent ea, quae 4, 1. 2. sequuntur (νήπιοι, πατήρ). Miror itaque, Bertholdtum haec talia repetere potuisse (Einleit. VI. p. 2688.).

Christi gerant ac in ipso magis, quam in se ipsis censeantur, add. Luther. ad h. l. Vid. de hac formula, unde nescio, an iudicandum sit etiam illud ἐν Χριστῷ (vid. statim v. 28.), copiose, neque tamen satis recte disputantem Deyling. observv. sacr. III, p. 406 sqq.

V. 28. ἔνι (Col. 3, 11.) i. e. non amplius *est in* his, qui in Christum baptizati sunt cet. v. 27. *Darunter* ist kein cet. ἔνι enim est pro ἐν adverb. v. Valcken. ad 1 Cor. 6, 5. et Grammat. N. T. p. 74. (non contract. ex ἔνεστι). Hoc dicit P.: In his, qui Christo sese addixerunt, nullum est amplius istud discrimen, quod inter homines vel natura fecit vel uniuscuiusque sors, unice omnia redeunt ad πίστιν, cf. Rom. 10, 12. 1 Cor. 12, 13. Col. 3, 11. — εἷς ἐστέ *unus* quasi *homo* (Ephes. 2, 15.; Theophyl. μία συγγένεια, μία ἰδέα) *estis* atque adeo pari omnes gratia ap. Deum utimini eorundemque beneficiorum participes estis. — V. 29. τ. Ἀβρ. σπ. estis etiam (tanquam πιστεύοντες v. 7.) ex posteris Abr., quibus promissa est aeterna felicitas. — κατ' ἐπ. v. 8 sqq.

V. 1. λέγω δὲ nexa sunt a voc. κληρον. 3, 29., hinc fit, ut desinant etiam in v. κληρον. v. 7. Scil. iam quidem non de lege mos., quippe in perpetuum haud valitura, sed de eorum, qui nunc κληρονόμοι atque adeo υἱοὶ τοῦ θεοῦ sunt, pristina conditione disputat Paulus. κληρον. filius hominis (opulenti), qui in paternas opes successurus est. νήπ. nondum adultus, impubes Dion. Hal. 4. p. 287. — διαφέρ. δούλ. non est magis sui iuris atque arbitrii, quam servus; quemadmodum hic heri, ita ille magistri imperio subest. Cf. Liban. in Chriis p. 11. D. (quem loc. attulit Wetsten.): ἃ τῶν δεσποτῶν πρὸς τοὺς οἰκέτας, ταῦτα τῶν υἱέων τοῖς ἐφεστῶσιν ἀξιοῦσιν ὑπάρχειν. Add. Sir. 30, 10. — κύρ. πάντ. quanquam dominus

futurus *omnium*, quae patris sunt, sc. *bonorum*. Unus Arabs omissum putavit δούλων. — V. 2.-ἐπίτροπ. servus, qui pueri curam gerit et tutelam, patre etiam superstite (magister morum) Xenoph. Mem. 1, 2, 40. Aelian. V. H. 3, 26. 13, 44. Plutarch. vit. Demosth. p. 847. Alios locos collegit Wetsten. II, p. 255 sqq. Translatum fuit hoc voc. in ling. talm. et rabb. v. Mischna Surenh. I, 321. III, 339. — οἰκονόμοι dicebantur servorum magistri, qui toti familiae (famulitio) praeerant (Gen. 15, 2.) Luc. 12, 42. His antiquitus non servorum tantummodo, sed filiorum etiam heri cura demandata fuit, ut est nobile exemplum Elieseris Gen. 24, 3. add. Diod. Sic. ecl. 36, 1. p. 534. (γίνεται τούτων [οἰκετῶν] ἀρχηγὸς ἀϑηνίων - - οἰκονόμος ὢν δυοῖν ἀδελφῶν μεγαλοπλουτῶν etc.) Syr. non male: רב ביתא. Graecis certe οἰκον. nusquam dicitur aut paedagogus aut tutor pueri [30]). Si Paul., quod multis placet, pueri curam ambobus et οἰκονόμῳ et ἐπιτρόπῳ commissam dicit, οἰκον. c. Grotio censendus est rei familiari praeesse, ita ut, nisi tutoris (ἐπιτρόπου) consensu non faciat puero pecuniae copiam. — ἄχρι τῆς προϑ. usque ad tempus constitutum, praefinitum a patre; προϑ. voc. centies ap. Demosth. legitur et in sermonem adeo rabb. illatum est v. praeterea Joseph. antt. 12, 4. 7. Lucian. Nigrin. c. 27. ver. hist. 1, 86. Achill. Tat. 4, p. 440. ed. Jacobs., add. Wesseling. ad Diod. Sic. II, p. 530.

---

30) Aliena sunt, quae e iure romano ad h. l. illustrandum certatim attulerunt F. C. Neubour in Biblioth. Brem. V, p. 40 sqq. A. C. Marche Spec. iurisprudentiae Pauli quoad rem tutelar. Lips. 1736. 4. J. F. Frisch Diss. de herede infante ad dicend. caus. ex iure rom. Lips. 1745. 4. et Westenberg opusc. iurid. ed. Püttmann. fasc. I. (Lips. 1794. 8.) p. 40 sqq. Püttmann Probab. iur. civ. p. 68. De *heredibus suis*, quos in h. l. invexerunt, v. etiam Glück Intestaterbfolge p. 19 sqq.

V. 3. ἡμ. Christianos, tum e Judaeis tum e paganis ortos, dicit cf. v. 8. — νήπ. impares suscipiendae accuratiori et subtiliori rerum divinarum scientiae v. Eph. 4, 14. ubi opponuntur ἄνδρες τέλειοι. Cet. cf. Origen. c. Marc 1. p. 15. ed. Wetst. — στοιχεῖα translate dicuntur prima institutionis elementa (Horat. ep. 1, 20, 17. Quinctil. inst. 1, 1.), prima artium et disciplinarum initia, quibus pueri (νήπιοι) solent impertiri cf. Col. 2, 8. 20. H. autem l. significatur disciplina sacra, qualis et apud Judaeos et apud paganos (hos utrosque complectitur voc. κόσμου cf. 1 Cor. 1, 20.) [31]) fuit ante Christum, tironibus accommodata, imperfecta, rudis cf. v. 9. Hebr. 9, 10 sq. v. Wesselii dissertatt. sacr. p. 480 sqq. Noesselt. opusc. II, p. 207 sqq. add. Erasm. Beza, Calixt. et Cramer. ad h. l. nec non Suicer. Thes. II, p. 1038. et Lakemacheri observatt. philol. IX, p. 74 sqq. Hoc autem voc. στοιχ. egregie accommodatum esse ad illud νήπιος, sponte patet. Alii, praeeunte Augustino (de Civ. Dei IV, 11.) *elementa* physica et res ex iis ortas, omninoque omnem externum rerum ordinem, ad quem veterum religiones spectabant, intelligunt, cf. v. 10. v. etiam Theodor. ad h. l. Sed ita Judaei certe non poterant nisi paullo acerbius dici ὑπὸ τὰ στοιχ. τ. κόσμου δεδουλωμένοι· sacer enim, quem faciebant, rerum naturalium (τῶν στοιχείων) usus ad Jovam spectabat ipsaque Jovae lege et auctoritate nitebatur (id quod Schmiederus [32]) perperam negavit, v. Excurs. 3.).

---

31) Scil. videtur ὁ κόσμ. hoc etiam loco non tam φύσιν aut rerum mundanar. complexum, quam ea, quae τοῖς ἐπουρανίοις atque adeo τοῖς πνευματικοῖς opposita sunt, significare, quemadmodum Col. 2, 8. 20. ὁ κόσμος τῷ Χριστῷ manifesto opponitur.

32) Reliqua levia sunt, quae ille contra nostram interpretationem disputavit; levissimum illud, quod dixit, ita scribi debuisse

Tum haud scio, an ea de re P. non adhibiturus fuisset voc. φύσεως. Omnis autem mihi dubitatio eximitur locum Col. 2, 8. 20., qui manifesto est παράλληλος, consideranti. — δεδουλ. ὑπ. etc. obstricti tenebamur *servorum* instar, cf. v. 1.; δουλ. spectat illam τῶν νηπίων conditionem, quemadmodum in v. στοιχ. τ. κ inest *paedagogi* significatio.

V. 4. πλήρ. τ. χρόν. (finis temporis, quod Deus effluere voluit usque ad Christ.) ἦλϑ. i. e. ἐπληροῦτο ὁ χρόνος (ad modum Hebr. v. Simon. Lex. p. 557.) cf. Mr. 1, 15. Act. 7, 23. et πλήρωμα τῶν καιρῶν Ephes. 1, 10. γενόμ. ἐκ γυν. mortalium more natus Iob. 14, 1. al.; γίνεσϑαι *existere* h. e. *nasci* Rom. 1, 3. Gen. 4, 25. E Graecis v. Theophr. char. 17, 2. Aelian. V. H. 3, 36. Diod. Sic. 3, 73. Isocr. Evag. p. 486. add. Sturz lex. Xenoph. I, p. 589., sed res est in vulgus nota. Frustra autem sunt, qui in vocc. γίνεσϑαι et γυνή argutantur, v. Wolf. ad h. l. — γενόμ. ὑπὸ νόμ. *subiectus legi* cf. Aelian. V. H. 3, 26.; recte Luther.: *unter das Gesetz gethan;* neque enim in Koppii sententiam concesserim, qui vertit: *natus sub lege* i. q. γενόμενος Ἰουδαῖος, ἐν Ἰουδαίοις. Ceterum haec verba,

---

ἐν τοῖς στοιχ. τ. κ. Cum voc. κόσμου in N. T. alia quaedam sit, quam ap. Graecos, eaque solennis potestas, quidni potuerit P. στοιχ. τοῦ κ. alio sensu dicere, quam quo legitur haec phrasis ap. philosophos graec.? Genitivo autem casu sic etiam regentis nominis significationem *definiri* (quod postulavit Schmiederus) satis apparet; denique non posse genit. *personae* vocabulo στοιχ. addi, hoc audacius quam verius dictum est, et videtur Schm. ipse suae caussae diffisus fuisse, scribit enim *fere semper!* Certe si aliunde patet, quo sensu στοιχεῖα dicantur, personae genit. non est alienus; ita Euclidis librum haud dubie vocamus *elementa Euclidis.* Nostro autem loco duobus modis apparebat, στοιχείων vocabulo *institutionis elementa* significari, et inde, quod de *legis* quadam disciplina agit Apost., et ex voc. νήπιος. Cet. nihil lucis isti, de qua quaerimus, phrasi attulit Progr. Hal. pentec. 1784.

γεν. ἐκ γυν. - - νόμ., indicant, Christum sorte, quae ab humana nihil discreparet, usum fuisse, humanam naturam totam induisse (Phil. 2, 7.); aliter enim non potuit, ut fert apostolorum opinio, homines a legis servitio redimere (Rom. 8, 3. Hebr. 2, 14. 17.) v. Excurs. 1.

V. 5. ἀπολαμβάνειν dicuntur inpr. illi, qui quae ipsis destinata et quasi reposita sunt, accipiunt, Col. 3, 24. 2 Joh. 8. cf. Num. 34, 14. Lucian consc. hist. 51. υἱοθεσία autem sign. omnem hominum, qui in Dei tanquam patris gratiam venerunt adeoque nil nisi bona ab eo exspectare possunt (tales enim appellantur υἱοὶ τοῦ θεοῦ 3, 26.), conditionem (v. Tittmann. opusc. p. 386.) Rom 8, 15. 23. Eph. 1, 5. (opp. δουλεία). — V. 6. πνεῦμα τοῦ υ. αὐτ. (v. 3, 14. Phil. 2, 5.) est animus amore et fiducia plenus (opp. timori, quod est πνεῦμα δουλείας). — ἡμῶν Griesb. scribi iussit ad fid. codd. A C D F G et all nec non verss. et patrum quorundam pro ὑμῶν; certe illud ut difficilius (cf. ἐστὲ υἱοὶ) poterat librariis fraudem facere. — κράζον alibi: ἐν ᾧ κράζομεν, Rom. 8, 15. (ut h. l. habent FG., qui tamen libri emendationum et glossematum si qui alii referti sunt); κράζ. autem est (ardenter, impense) *precari*, ut Jac. 5, 4. Rom. l. c. et ap. LXX. — ἀββᾶ (Rom. 8, 15. Mr. 14, 36.) chald. אַבָּא; cur peregrinum voc. ponat, non convenit inter explicatores v. Tholucc. ad Rom. l. c. Quid si respiciat solennes precum formulas, quae ab hoc voc. incipiebant? Neque enim cum Augustino, quem Calvinus sequitur, statuas, *utrorumque* et Judaeor. et Paganorum υἱοθεσίαν h. v. significari. ὁ πατ. adiectum, ut Mr. et Rom. l. c., eorum caussa, qui hebraice nescirent. Sens.: nobis, qui gratiam div. Christi beneficio consecuti sumus, licet animo fiducia pleno ad Deum, tanquam patrem nobis propitium, precari; Judaeorum est, Deum timere tanquam severum legis custodem atque vindicem (et, si precantur,

angeli cuiusdam intercessione uti, v. Targ. 2 Chron. 23, 13. et Semler. ad h. l.).

V. 7. Sequitur conclusio cf. v. 1. υἱός sc. non natalibus duntaxat sed qui consuetudine etiam patris caritateque utatur quique iuribus filii gaudeat. καὶ κληρ. (Rom. 8, 17.) nam filius paternorum bonorum particeps fit. Paterna autem bona, quae Christianis tanquam υἱοῖς τοῦ θεοῦ cedunt, continentur in felicitate aeterna, quae ipsa vocatur simpl. ἡ κληρονομία Gal 3, 18. Ephes. 1, 14. Col. 3, 24. et ὁ κλῆρος Act. 26, 18. Col. 1, 12. Similis a plurali ad singul. transitus est Rom. 12, 16. 20. 1 Cor. 4, 6 sq. al. Illico tamen ad plur. relabitur.

SECTIO SEPTIMA.

CAP. IV. v. 8—20.

Dolet, Galatas iterum delapsos esse ad servilem istam, qua antehac uterentur, conditionem (v. 8—10.), metuitque, ne frustra in ipsis erudiendis laboraverit (v. 11.), hortatur, ut ad bonam frugem redeant, idque eo magis, quo benignius se olim excepissent (v. 12—16.); demonstrat, adversarios turpi consilio studere (v. 17. 18.); optat denique, ut Galatas coram castigare sibi liceat (v. 19. 20.).

V. 8. τότε sc. cum essetis ὑπὸ τὰ στοιχ. τ. κόσμ. δεδουλ. v. 8. Al. pro πάλαι *olim* dictum censent (v. Heindorf. ad Plat. Theaet. p. 157. A., Markland ad Iphig. Aul. 46.), in quam rem Schleusnerus laudat 2 Petr. 3, 6., male, v. Pott. ad h. l. Flattus loco 2 Sam. 15, 34. LXX. abutitur. — οὐκ εἰδότ. θεόν i. e. *deum* qui unus ac verus

est. Solennis haec formula de hominibus paganis Rom. 1, 21. 1 Thess. 4, 5. 2 Thess. 1, 8., qui Ephes. 2, 12. vocantur ἄϑεοι. De Galatarum autem domesticis superstitionibus v. Wernsdorf. l. c. p. 321 sqq. Pro τοῖς μὴ φ. οὖσι ϑ., quod significaret *iis, qui haudquaquam natura,* sed ex hominum tantum opinione *Dii sunt* (λεγόμενοι ϑεοί 1 Cor. 8, 5.), cum A B C D E F et all. scribe τοῖς φύσει μὴ οὖσι ϑ. *iis, qui natura non sunt dii* (sed res a deo creatae Rom. 1, 22 sqq.).

V. 9. νῦν δὲ γνόντ. ϑεόν *nunc* quippe ad doctrinam christ. instituti. — μᾶλλον δέ est eius, qui, quae modo dicta erant, corrigit: *imo vero*, ut rectius dicam, si mavis, Rom. 8, 34. Ita centies ap. Graec. Dionys. Hal. 10. p. 637. Plat. Euthyd. p. 272 E. Phaed. p. 59 C. Dio Chrys. 39. p. 489. Demosth. cor. p. 246. Plutarch. ser. vind. c. 17. v. Raphel. et Palairet. ad h. l. adde Jacobs. ad Achill. Tat. p. 593. — γνωσϑ. ὑπὸ ϑ. *cogniti a Deo* (v. etiam Bengel.) ut qui Dei sint (nam Deus, inquit Pelagius, non novit iniquos) sc. datis donis spiritualibus, ut bene monet post Luther. Grotius. Simil. locus est 1 Cor. 8, 3. cf. 2 Tim. 2, 19. Sap. 4, 1. Non assentior si qui (olim Beza, nuper Nöss. Kopp. et Flatt.) γινώσκεσϑαι vertunt: *cognoscere facti* h. e. a Deo ipso ad sui cognitionem adducti v. Gramm. N. T. 235 sq. — πῶς mirantis est, qui haec consociari invicem non posse intelligat cf. 2, 12. ἐπιστρέφετε scripsit, non ἐπιστρέψατε, quan quam illi iam superstitiones priscas repetebant v. 10.; nam hoc initium duntaxat quoddam nefandi secleris erat, quo quid *vellent* (δουλ. ϑέλετε) declararunt et apostolo metum iniecerunt ne prorsus deficerent a re chr. v. 11. — στοιχεῖα appellat ἀσϑενῆ κ. πτωχά, quoniam nec *efficere* salutem possunt nec *largiri* τὰ πνευματικά. Theophyl.: τὰ μηδεμίαν δύναμιν ἔχοντα πρὸς τὰ προκείμενα ἀγαϑὰ μηδὲ

ἰσχύοντα πνευματικῶς ὠφελῆσαι. Simil. Hebr. 7, 18 in simili caussa iunguntur ἀσθενές et ἀνωφελές. — ἄνωθ. *denuo*, Joseph. Antt. 1, 28, 3.; πάλιν ἄν. habes etiam Sap. 19, 6., ut ἐξ ἀρχῆς πάλιν Aristoph. Plut. 121., ἐκ νέας αὖθις ἀρχῆς Plut. solert. anim. p. 959., αὖθις πάλιν Xenoph. Anab. 1, 10, 10. cf. Stephan. dial. att. p 69 sqq. Bornemann ad Xen. Symp. p. 178 — δουλ. quanquam alibi de cultu Deorum simpl. dicitur (Mt. 6, 24. 1 Thess. 1, 9), h. tamen l. adiunctam habet, si quid video, notionem *servitutis:* servili modo colere cf. v. 3. et 6. θελ. igitur *sponte*, non coacti v. Bremi ad Demosth. p. 121.

V. 10. παρατηρ. superstitiose, sedulo observare, dignoscere dies fastos et nefastos etc. cf. Jamblich. myster. 8, 4., ubi καιροῦ παρατήρησις. — ἡμέρ. dies sacri, ut sabbata, μην. ut novilunia (Num. 28, 11 sqq.), καιρ. tempora stata (מוֹעֲדִים Lev. 23, 4.), ut festum paschatos, pentecostes al., ἐνιαυτ., ut anni iubilares cet. Mirifice illustrat locum nostrum alius, qui est Col. 2, 16. Cet. similem dierum religionem paganis etiam fuisse, satis constat, v. N. Schwebel Pr de superstitiosa ap. vett. paganos dierum observat. Onold. 1769. 4. — V. 11. φοβ. ὑμᾶς est attractionis species, vocabulo ὑμᾶς, quod ad insequentem sententiam pertinet (εἰς ὑμᾶς), ad priorem reiecto. Consimilem locum habes in Ignat. ep. ad Rom. c. 2. Φοβοῦμαι τὴν ὑμῶν ἀγάπην, μὴ αὐτή με ἀδικήσῃ et ap. Demosth. cor. p. 299. (1. p. 217. ed. Dindorf.) ὑμᾶς δέδοικα, μὴ μάταιον ὄχλον τοὺς περὶ τούτων λόγους νομίσητε. In nonnullis codd. omissum est istud ὑμᾶς, quod non intelligebant librarii, quorsum pertineret. — κοπ. freq. de laboribus muneris apostolici Rom. 16, 12. 1 Cor. 15, 10. Phil. 2, 16. Col. 1, 29. Praeteriti autem ind. c. μήπως iuncti rationem illustrat Herm. ad Eurip. Med. ed. Elmsley p. 356. Scil. φοβ. μήπ. κεκοπ. est eius,

qui non timet, ne quid futurum sit, sed qui opinatur, id iam factum esse, quod timere se dicit; sim. Thucyd. 3, 53. νῦν δὲ φοβούμεθα, μὴ ἀμφοτέρων ἅμα ἡμαρτήκαμεν.

V. 12. γίνεσθε ὡς ἐγὼ etc. In his explicandis magnopere vacillarunt interpretes. Longe plurimi (in quibus Luth., Beza, Grotius, Calixtus, Morus cet.) *amoris* similitudinem designari arbitrantur: *amplectimini me eodem, quo ego vos, amore* cf. v. 16. et quae sqq. οὐδέν με ἠδικ. add. 2 Cor. 12, 15. Verum ita haec: ὅτι κἀγὼ ὡς ὑμεῖς non habent idoneum sensum, nec abest, opinor, omnis orationis asperitas. Magis ad disputationis Pauli vim et consilium accommodata esse videtur eorum ratio, qui interpretantur: *repudiate vos quoque legem iud., quemadmodum ego* (quànquam natione Judaeus) *repudiavi atque ita quasi in paganorum partes concessi;* ἄνομος factus sum. Sic Chrysostomus, Theodoretus [33]), Pelag., Theophylactus [34]), Vatablus, Semler., Kopp. all. Certe, quod Borgerus (qui totum hunc l. mirifice pervertit) ellipsin voc. ἐγενόμην i. e. εἰμί duram admodum vocat, id me parum movet; passim enim apud Paul. (et alios quosvis scriptores v. Poppo ad Thucyd. I, p. 282.) e praecedenti aliquo verbo repetendum est eiusdem verbi aliud vel tempus vel modus alius vel denique alia persona. 2 Tim. 1, 5. ἥτις (πίστις) ἐνῴκησε ἐν τῇ μάμμῃ σου. - - πέπεισμαι δέ. ὅτι καὶ ἐν σοὶ sc. ἐνοικεῖ.

---

33) τοῦτον εἶχον πάλαι τὸν ζῆλον· σφόδρα τὸν νόμον ἐπόθουν, ἀλλὰ ὁρᾶτε, πῶς μεταβέβλημαι.

34) καὶ γὰρ ἐγὼ σφόδρα τοῦ νόμου περιεκαιόμην, ὡς ὑμεῖς, ἀλλ' ἀφῆκα τοῦτον, καὶ νῦν τοῦ Χριστοῦ καὶ τῆς πίστεως ὑπερμάχω.

Eph. 5, 24. ὥςπερ ἡ ἐκκλησία ὑποτάσσεται τῷ Χριστῷ, οὕτω - - - αἱ γυναῖκες τοῖς ἀνδράσι sc. ὑποτασσέσθωσαν. Cf. Thuc. 3, 56. et supra 2, 9. v. Grammat. N. T. p. 512 sqq. p. 545 sqq. — οὐδέν με ἠδικήσ. igitur non habui quod vobis irascerer, amo potius vos, omniaque haec, credite, amore ductus eloquor cf. Pelag.

V. 13. δι' ἀσθέν. τῆς σαρκ. διά de conditione, in qua constitutus quis facit aliquid. Proficiscitur haec voc. potestas a *temporis* (diuturnitatis) notione, quae isti voc., etiam ubi c. acc. copulatur, passim inest cf. Aristot. mirab. auscult. 68. διὰ τὸν χειμῶνα. Contorte haec explicuit Flattus. ἀσθέν. late patet omnemque imbecillitatem vilitatemque, quae non solum e morbis, sed ex aliis etiam calamitatibus et periculis, max. iis, quae rei christ. caussa subeunda sunt, oriuntur, significat (Chrysost. hom. 29. in 2. ep. ad Cor. διωγμοί, εὐβουλαί, ἐπήρειαι, πειρασμοί etc.) cf. Rom. 8, 26. 1 Cor. 2, 3. 2 Cor. 11, 30. 12, 9. Miror Hugium, qui Einleit. II, p. 315. horum verborum sensum ita exponit: von dem erstern Unterrichte sagt er, dass er dabei *auf die menschliche Schwachheit Rücksicht genommen habe, um nicht durch die strengere Lehre Anstoss zu geben*, et Hanium, cui (Schrifterklär. I, p. 43 sqq.) ἀσθέν. τῆς σαρκ. in eruditionis ac ingenii tenuitate, quam P. prae se ferebat, inesse videbatur. Recte Stolzius: unter körperlicher Schwachheit. Cf. v. 14. et 1 Cor. 2, 3. — πρότ. *primum* v. Prolegg. p. 9. —

V. 14. καί *et tamen* v. Grammat. p. 387. Verba τὸν ἐν τῇ σαρκί μ. non temere addita sunt. Dicit hoc: harum omnium calamitatum vim unice fuisse in corpore, eas nullam in animo habuisse efficaciam, mentem atque animum (πνεῦμα) immunem fuisse: nam sunt etiam πειρασμοὶ ἐν

τῷ πνεύματι. Pro πειρ. μου in nonnullis libris, ut AB DFG, in vers. memph. et vulg. legitur ὑμῶν (quod non satis probabiliter explicat Erasmus); in aliis codd. et vers. Syr. deest pronom. Si quid mutandum, non putaverim cum Lachm et Meyero ego, ὑμῶν, tanquam impeditiorem lectionem, praeferendum esse, sed censuerim potius, ab apost. nullum adiectum fuisse pronomen. — ἐνεπτύσ. v. Kypke observv. p. 280 sq. Sic Latini etiam *respuendi* et *conspuendi* vocabula dicunt, ut sint: *repudiare, abhorrere ab aliqua re*, cf. le Moyne Var. sacr. p. 669. Sim. πτύειν τινά Sophocl. Antig. 645. et καταπτύειν τινός ap. Aeschin. de falsa leg. p. 250. cf. Lobeck. ad Phryn. p. 17. — ὡς ἄγγελ. θεοῦ i. e. summa cum reverentia et pietate 2 Sam. 19, 27.

V. 15. τίς οὖν ἦν ὁ μακ. ὑμ. *quae igitur fuit vobis beatitatis iactatio (laetandi materies)*, quid erat, quod tum summo felicitatis sensu perfunderemini sc. propter meum, doctoris christiani, adventum. Sed alii libri haud spernendi assentiente vulg. interprete habent ποῦ οὖν ὁ μακ. ὑμ. i. e. *ubi est* (quo abiit) *vestra felicitatis praedicatio?* v. Calvin. — ὀφθ. ἐξορύξ. ἂν ἐδώκ. μοι. Sic est in proverbio apud Graecos et Roman cf. Horat. Sat. 2, 5, 35. Terent. Adelph. 4, 5, 67.; *oculum* enim dicunt pro eo, quod carissimum est homini Callimach. in Dian. 211. (cf. Prov. 7, 2. Deut. 32, 10. Zach. 2, 8.) Oppian. Hal. 1, 703. Mosch. idyll 2, 9. v. Broukhus. ad Tibull. 3, 6, 47. ἐξορύσσειν autem proprium voc. de oculis effodiendis Herod. 8, 116. Lucian. D. deor. 1, 1. Achill. Tat. 7, 14. (p. 166. ed Jacobs.). ἂν ante ἐδώκ. omittunt ACD alii, non male cf. simil. locos Jo. 15, 22. 19, 11. 9, 33 v. Herm ad Sophocl. Electr. 902. et ad Eurip. Hec. 1087. add. Bremi Exc. 4. ad Lys. p. 439 sq. — V. 16. ἐχθρ. vobis invisus (Xen. Cyrop. 5, 4. 35. Aelian. V. H. 2, 23.)

vel, quod ad eundem fere sensum redit, vobis infestus (Dio Chrys. 49. p. 536.). — ἀληϑ. generatim est: veritatem sectari Ephes. 4, 15. (Diog. L. 1, 2. 18. Xen. Cyrop. 1, 6. 33. 4, 2. 7. cet.): h. l. spectat eo, quod P. Galatarum errores, ut rei veritas postulabat, castigaverat; nos: um meiner Wahrheitsliebe willen. Ter. Andr. 1, 1, 41: veritas odium parit (Lucian. Abdic. 7.)

V. 17. ζηλοῦσ. ὑμ. Concise dictum. Respicit illos, qui Galatas transversos egerant, Christianos iudaicarum opinionum tenaces. ζηλοῦν τινα est vel *aemulari* (atque adeo *invidere*) alicui Gen. 37, 10. (Polyb. 1, 7. 8. 1, 79. 1. Herodian. 2, 7. 8. Thuc. 2, 37.) vel gener. *acri studio in aliquem ferri, acri studio aliquem expetere* (sich um jem. beeifern), quod pro locorum natura varie dicitur 2 Cor. 11, 2 Prov. 23, 17. 24, 1. Ps. 37, 1. Soph. Ai. 552. (548). H. l. qua in re cernatur istud studium, ista aemulatio, sequentia docent, sc. student vos in suas partes trahere. Theodor. ὁρῶντες ὑμᾶς τῇ πίστει λάμποντας, ἀνιῶνται καὶ πάντα πραγματεύονται, ὥςτε ὑμᾶς ἐκείνων στερῆσαι τῶν ἀγαϑῶν. Erasm. non male: *ambiunt vos*. [Al. *admirantur vos, felices praedicant* malevolo animo cf. Xenoph. Hellen. 6, 5, 38. Hier. 1, 9. 6, 12. Isocrat. Evag. 8. v. Zonar. s. h. v.; satis incommode. Al., ut Koppius: *invident vobis* sc. felicitatem eam, qua sec. Pauli doctrinam potiri potuissent; sed si haec iis videbatur vera felicitas, cur non ipsi ad eam sese contulerunt potius, quam invidiae studuerunt?] — οὐ καλῶς non honesto, laudabili modo (consilio); est enim et cogitari potest ζῆλος laudabilis 2 Cor. 7, 7. — ἐκκλεῖσ. ὑμ. ϑέλ. In his etiam mirum est interpretum dissidium. ἐκκλ. Graecis est *seiungere, removere ab al. re.* Sed quaeritur, a quonam seiungant? Scilicet (ut iam Grotius, Bengelius, Cramerus viderunt) ab apostolo eiusque communione. Ubi enim ad

tenuia ista στοιχ. τ. κ. redierunt, non potuerunt amplius paulinam disciplinam sectari. All. *removere vos student ex ecclesia* Ita nuper de Wettius. Non assentior. Quam vero Schleusn. praeeuntibus Raphelio et Baumgartenio suasit explicationem: *cogere, impellere vos volunt, ut* (vos sectemini ipsorum disciplinam), ea vereor magnopere, ut possit e loco Arriani (Diss. Epict. 3, 22. p. 461. Schweigh.) probabiliter demonstrari; ibi enim ἐκκλείεται εἰς νοσοκομίας est praegn.: secludi ab aliorum hominum consuetudine et ad solos aegrotos redigi: itaque manet propria verbi sententia [35]). Ceterum ὑμᾶς pro ἡμᾶς, quod Beza (suae interpretationis gratia) invexit (quanquam, si quid colligendum e Birchii silentio, in aliquot codd. vet. legitur) reponendum curarunt Bengelius et Griesbachius, approbantibus etiam Grotio, Wetstenio al. Legitur enim in opt. codd. in vers. vulg., syr. utraque, copt., aeth., ap. Euseb., Chrys., Hier., Theod., Theophyl. etc. — ἵνα αὐτ ζηλ. sie beeifern sich um euch, *damit ihr* dann *euch um sie beeifert* sc. eorum partes studiose sectando, vosque in ipsorum quasi potestatem tradendo [36]). Sed cum ἵνα *ut* nusquam ap. Graecos cum indic. praes. copuletur (v. Herm. ad Vig. p. 851 sq.

---

35) Chrysost.: ἐστὶ δὲ ζῆλος πονηρός, ὥςτε ἐκβάλλειν τῆς ἀρετῆς τὸν κατορθοῦντα. ὃ δὴ καὶ αὐτοὶ νῦν ἐπιχειροῦσι etc. Ita etiam Theophyl. Pro ἐκκλεῖσ. videtur Syr. ἐγκλεῖσαι legisse: vertit enim למהבשכון הוצבין *volunt vos includere* (cf. Rom. 11, 32. Hebr. 6, 17.) i. e. sibi obstringere, mancipare. Addicunt codd. gr. Erasm.

36) Non male Calixtus: ut omnem amorem in ipsos transferatis ipsosque magni faciatis et solos pro praeceptoribus agnoscatis.

Monk ad Eurip. Hippol. p. 80. ed. Lips.) nec omnino copulari posse videatur, Fritzschius (Comment. in Matth. p. 837.) et hic et in altero loco 1 Cor. 4, 6. ἵνα pro adverbio *ubi* habere maluit, ut sensus verborum ita enarrari debeat: *quo in statu* h. e. ubi estis a me abalienati, *illos studiose appetitis.* Sed ut taceam, hoc sensu (de *conditione*, in qua quis versetur) ἵνα vix legi ap. pedestris orationis scriptores (v. Poppo ad Xenoph. Anab. 1, 8, 22.), ita non tolerari potest praesens; nec satis apta est alterius loci explicatio; certe in hoc exspectes potius: ἵνα εἷς ὑπὲρ ἑνὸς οὐ φυσιοῦσθε κ. τ. ἑ. Itaque puto, talia cadentis linguae esse, nec apostolorum orationem ad graecorum subtilitatem scriptorum ubivis exigi debere. Simile exemplum habes in Geopon. 10, 48. 3. ἵνα μὴ καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν εἰς τοῦτο ἀσχολοῦνται. Add. Acta Ignat. p. 358. ed. Ittig.

V. 18. καλ. laudabile est, Eustath. ad Odyss. 5, 294. ἐπαίνου ἄξιον. — ζηλοῦσθαι ἐν καλ. Locus obscurus. Omnes fere, quos vidi, interpretes, ζηλοῦσθαι pro med. accipiunt, ita ut non differat a ζηλοῦν. Sed quidni potius isti vocis declinatui convenienter explicemus: *se invicem ambire*, das sich gegenseitig (um einander) Beeifern? At tu vide, an non passive etiam enarrari possit τὸ ζηλοῦσθαι, hoc sensu: dass sich beeifert wird im Guten, ist rühmlich (ὅτι ζηλοῦται, καλόν ἐστί); πάντ. καὶ μὴ μόν. ἐν τῷ παρ. cet. *omni tempore, non solum cum ego apud vos commoror;* praesente enim Paulo graviora erant eius rei incitamenta. Ich verwerfe nicht die Beeiferung schlechthin, sondern nur die unedle: ist sie edler Art und dauernd, so erscheint sie rühmlich.

V. 19. πάλιν (cf. v. 13. τὸ πρότερ.) ὠδίνω. Delectatur P. vocabulis, quae a mulieribus parturientibus tra-

ducta sunt, ubi de hominibus ad doctrinam div. instituendis loquitur, 1 Cor. 4, 15. Philem. 10. add. Jac. 1, 18. et Schöttgen. ad h. l. — μορφ. est: formam, figuram nancisci, efformari; dicitur de iis, quae antea erant informia. Iam Χρ. ponitur in hac tali sententia pro: scientia, sapientia christiana: haec autem *informis* dici potuit, dum esset rudis, imperfecta, manca, vi et efficacia destituta. Itaque sensus est: ut tandem aliquando ad *veram* et consummatam sapientiam animi vestri effingantur. Bezae, Calvino, Grotio, Piscatori all. metaphora ducta videtur a fetu (cf. ὠδίνω) Plutarch. de anim. gener. p. 1013. C. [Ceterum nihili est, quod Wassenberghius (Diss. de transpositione ceu saluberrimo in sanandis vett. scriptis remedio. Franecq. 1768. 4. p. 31 sq.) versum hunc 19. ad v. 15. reiiciendum existimat v. Grimm. (in libro: Stromata v. Grimm u. Muzel I, p. 40 sq.) et Borger. ad h. l.]

V. 20. ἤθελον δὲ παρεῖναι *vellem autem adesse,* quod nunc quidem fieri non potest; ἄν in talibus sententiis qua lege omitti possit, constat, Act. 25, 22. ἐβουλόμην καὶ αὐτὸς τοῦ ἀνθρώπου ἀκοῦσαι, Rom. 9, 3. Lucian. Catapl. 12. v. Gramm. N. T. p. 253. [Additur ἄν ap. Dion. Chrysost. 7. p. 99. 51. p. 545. Isocr. Aegin. p. 932. v. Schäfer Mel. p. 124.] — ἀλλάξ. φων. *variare vocem, varia voce uti* (Artemid. 2, 20. coll. 4, 58. Dio Chrys. 59. p. 575. C.) h. l. admonitionem, castigationem variare h. e. hominum ingeniis accommodare, vel severius vel lenius agere cum, cf. 1 Cor. 4, 21. Theodor.: ἤθελον - - - τῶν μὲν ἐκτροπὴν θρηνῆσαι, τῶν δὲ τὸ βέβαιον θαυμᾶσαι. Bene Stolz.: um meinen Ton nach euch zu stimmen. — ὅτι ἀπορ. *nam* (absens) *inops sum consilii* (Joh. 13, 22. Thucyd. 2, 20. Polyb. 20, 5. 8. Polyaen. 5, 33. 4. Xenoph. Anab 7, 3, 29.) i. e. nescio quomodo ad vos efficaciter

scribam, asperis an blandis verbis usus. ἐν ὑμ. bei euch *(quod ad vos attinet)*; non copul. c. ἀλλαξ., ut Baumgart. voluit.

SECTIO OCTAVA.

CAP. IV. v. 21. — V. v. 12.

In libertatem vindicatos esse Christianos, nec ad eos amplius pertinere legem, e Genesi, allegorica interpretatione adhibita, demonstrat (v. 21—31.). Hortatur, ut hanc libertatem tueri (v. 1.) velint, neminem enim, qui disciplinae iudaicae studeat, beneficiorum Christi participem esse posse (v. 2—6.). Sperat, eos ad bonam frugem redituros, falsos autem magistros in perniciem prolapsuros esse (v. 7—12.).

V. 21. τ. νόμ. οὐκ ἀκούετε; *legem*, quae ipsa, ne veris Abr. posteris iniungatur, clara voce vetat, *non auditis* (v. Erasm. ad h. l.). Nonnullis videtur P. morem in synagogis τὸν νόμον praelegendi (Rom. 2, 13.) tangere, atque huc spectat, quod pro ἀκούετε in B D E F G legitur ἀναγινώσκετε. *Ignorantiam* vero legis acrius exprobrat his qui legis scientia et cura tantopere superbiebant, quam socordiam in observanda aut intelligenda lege; itaque non dixerim, ἀκ. h. l. esse *intelligere* (1 Cor. 14, 2) aut *obsequium praestare*. Hoc certe sensu non legitur nisi ἀκούειν τινός auf Jem. hören. — V. 22. γέγρ. Genes. 16, 15. 21, 2 sqq. ἐκ τῆς παιδ. von der Sklavin sc. quam e multis conjugem duxerat; de voce παιδ. usu v. Lobeck. ad Phryn. p. 239. — V. 23. ἀλλά grave quoddam discrimen notat. κατὰ σάρκα (Rom. 1, 3.) i. e.

naturali nascendi lege, ut reliquum hominum vulgus; etenim Hagar, ut adolescens, pariendi adhuc facultatem habebat. κατ᾽ ἐπαγγ. praeter naturae consuetudinem, singulari Dei beneficio; nam Sara, quippe aetate iam provectior, spe prolis exciderat. Cf. Rom. 9, 8. — V. 24. ἅτ. ἐστ. ἀλληγ. quae quidem habent hunc sensum reconditum et sublimiorem. Multa de hac v dabunt Wetsten Tom. II, p. 228 sqq. et Kypk. ad h. l. Quam Judaeorum magistri mirum in modum celebrarunt [37]) allegoricam S. S. interpretandi rationem, eadem passim usus est Paulus Ap., ubi cum Judaeis disputandum erat; recte: nam nihil efficacius fingi potuit ad hos homines refutandos ac suo quasi gladio iugulandos. Quanta autem in Apostolo fuerit allegoricae interpretationis ars atque usus, ex hoc loco, si quo alio, potest existimari Bipartita est P. disputatio; primum enim ostendit, verum Abrahami filium non fuisse habitum nisi qui κατ᾽ ἐπαγγελ. natus esset, deinde (ne Judaei hoc ad se tanquam Isaaci posteros pertinere opinarentur) Judaeos legi mos. obnoxios omnes in servae posteris atque adeo in servorum numero esse censendos, ex Hagaris cum monte Sinaitico convenientia elicit V. de hoc loco Witsii Miscell. sacr. II, p. 137 sqq. Surenhus. βίβλος καταλλαγ. p. 576 sqq. αὗτ. εἰσί *hae* mulieres *sunt* h. e. *significant* δύο διαϑήκ. duo foedera (nobilia), unum, quod Deus cum gente israelitica per Mosen, alterum, quod cum hominibus omnibus interprete Christo pepigit, cf. Hebr. 8, 6. 7. 9, 15 sqq Artic. αἱ

---

37) De hac allegorica Judaeorum interpretatione, Philoni potissimum usitata, cuius origines et rationes copiosius explicare non est huius loci, cf. Vitring. Synag. vet. p. 673 sqq. Wetsten. ad h. l. Eichhorn. Biblioth. der bibl. Lit. V, p. 222 sqq. Add. Schöttgen. p. 747 sqq.

delendus videtur ex auctoritate optimorum librorum, eorum etiam, quos Matthaeius contulit. — μία ἀπὸ ὄρους Σιν. ut nos: eins vom B. Sinai cf. Xenoph. Anab. 7, 2, 19. Adverte hic etiam omissum art. esse. De altero mutata structura exponit v. 26. (μὲν - δέ). — εἰς δουλ. γεννῶσα *peperit* (nam comparat διαθήκην cum matre v. 26.) *in servitutem* h. e. (filios) qui futuri essent servi. Dicit Israelitas, quos foedus sinait. legi mos. obnoxios reddidit.

V. 25. τὸ γ. Ἄγαρ *nam vocabulum Agaris* (non dicit ἡ Ἄγ.) etc. Unde proficiscatur haec Pauli argumentatio, paucis dicendum. Scilicet حجر est *lapis, rupes,* ac fortasse Arabes in vicinia degentes montem Sinai vocarunt κατ' ἐξοχήν *rupem,* v. Büsching Erdbeschr. V, I, p. 535. cf. le Moyne varia sacra p. 834., Pfeiffer. Dubia vex. p. 949 sqq. [38]). Sed haec non premenda magnopere sunt Norunt omnes, veram vocis Hagaris potestatem esse aliam: scribitur enim הָגָר et originem ducit ab arab. هجر *fugere*. Ceterum voc. Ἄγαρ in nonnullis libris haud spernendis (ut in codd. Ephraemi, Augiensi, Boern., in verss. aeth. armen. vulg. etc.) deest; legunt hi: τὸ γὰρ Σινᾶ ὄρος ἐστίν etc. probantibus Semlero, Zachar. et all. Sed ita ordo disputationis allegoricae dissolvitur adeoque nervus inciditur, nisi (quod Zachariae fecit) multa ex ingenio addas; praeterea facile potuit voc., quod modo lectum esset, iterum obvium praetermitti a librariis. — συστοιχ. gr. sign. *in eodem ordine et versu* (στοίχῳ) *consistere* vel *decurrere* ac dicitur de militibus,

---

38) Non pertinet huc urbs هَجَر ad sinum pers. (v. Niebuhr Descript. Arab. p. 339 sqq.) nec Agarenorum gens, ut ostendere conatus est Erythropel (praes. Wähnero) in sing. diss. Gött. 1744. 4.

de arboribus Polyb. 10, 21. 7.; deinde translato sensu est: similem esse, respondere alicui Theophr. plantt. causs. 6, 4. *Respondet* autem (συμφωνεῖ Theodor.) Hierosolymis, quod haec pertinaciter tuentur legem servitutis, olim in monte Sin. latam. Vern. dicas: steht auf gleicher Linie m. dem j. Jerus., ut voc. consilio lecti vim omnem exprimas. Al. continuo montium tractu *pertingit usque ad Hieros.*, *vicinus est:* Syr, Ar. tres, Chrysost. (γειτνιάζει, ἅπτεται). Sed hoc non potest, nisi contorte admodum (v. Genebrard. ad Ps. 133, 3.), ad situm locorum accommodari et alienum etiam est a Pauli argumentatione; itaque non putaverim, Ap. ad eam rem h. l respexisse, quanquam allegorica Judaeorum interpretatio tales etiam lusus fert. Rich. vero Bentleii coniecturam (v. ad Malalae Chron. p. 96.) verba Σινᾶ - - Ἀραβίᾳ glossema esse iudicantis atque ita P. allegoriam evertentis explosit Hasaeus in Bibl. Brem. I, p. 718 sqq., quanquam Millius ei assensum praebuerat. Denique Lackemacheri artificium (Observ. philoll. IX, p. 1 sqq.), qui συστοιχ. ex gematria iud. explicat de valore num. literarum, quae in verbis Σινᾶ ὄρος Ἀραβ. et Ἱερ. ἡ νῦν, si hebraice exprimuntur, insunt, nemini, opinor, placebit. — τῇ νῦν Ἱερ. urbi Hierosolymorum, quae nunc (in his terris) est (rabb. ירושלים של מטה) opp. *futurae* i. e. coelesti v. 26. — τέκν. i. e cum Judaeis, qui legi mos. subiecti erant, cf. בְּנֵי צִיּוֹן Ps. 149, 2. (Mt. 8, 12.) Sed utitur hoc potissimum vocabulo, quippe in matris notione persistens.

V. 26. ἡ ἄνω Ἱερ. Hieros supera (superna) i. e. coelestia (sic ἄνω dic. Phil. 3, 14. Col. 3, 1 sq. cf. Jo. 8, 23.) [39]), ἡ ἐπουράνιος Ἱερ. Hebr. 12, 22. Apoc. 21, 2.

---

39) Falluntur, qui cum Vitringa (Observatt sacr. I, 17.) et Hasaeo (in Biblioth. Brem. I, p. 732 sqq.) montem Sion ab

ירושלים של מעלה ap. Talm. v. Schöttgen. hor. hebr. p. 1205. Lightfoot. opp. I, 355. Bertholdt. Christol. p. 211 sq. Nostri hoc voc. ad ecclesiam christianam transferre consueverunt coll. Hebr. l. c. — μήτηρ πάντ. ἡμ. adeoque nosmetipsi, ex ingenua hac matre nati, ingenui (ἐλεύθεροι) sumus. Voc. πάντ omitt. codd. plur., Vulg., Syr. utraque, Aeth., Origen., Euseb., Theod., Cyrill. Alex. al., itaque delendum censuerunt Millius, Bengel. et Griesbach. Recte, quanquam alibi P. has voces πάντες ἡμεῖς vel ὑμεῖς iungere solet (Gal. 3, 28. 2 Cor. 2, 3. 7, 15. Phil. 1, 4. v. Hasaeus l. c. p. 752 sq.). Neque enim valde accommodatum est ad Pauli disputationem, quippe cuius vis omnis insit in voce ἡμῶν.

V. 27. γέγρ. Jes. 54, 1. Locus, accurate expressus ad LXX. fidem, agit de republica iudaica, tum calamitatibus pressa, mox pristino splendori restituenda. ῥῆξ. sc. φωνήν, quod additur Herod. 5, 93. Aristoph. Nub. 357. Aelian. Anim. 12, 3. De Latinis v. Drakenborch. ad Sil. Ital. 4, 528. — ῥῆξ. κ. βόησ. est: *in iubila erumpe.* — ἔρημ. *solitaria* i. e. *deserta*, neglecta a viro utpote *sterilis,* ἔχ. τ. ἄνδρ. *quae virum* sibi *habet,* cui se vir tradidit sc. tanquam fecundae, a qua proles exspectari posset. Alibi ἔρημ. simpl. sign. *orbam* liberis Isocr. Aegen. c. 22. extr. et ἐρημία *orbitatem* Isaei orat. in Menecl. p. 18. — V. 28. ἡμ. christiani. κατὰ Ἰσ. *ad exemplum Isaaci* cf. Ephes. 4, 24. Hebr. 8, 9. 1 Petr. 1, 15. v. de hac praeverbii potestate Raphel. et Kypk. ad h. l. — ἐπαγγ. τέκν. filii divinitus promissi (non κατὰ σάρκα, ut Judaei) v. 23.; nam ad rem christ. pertinuit divina ista promissio, cuius supra mentionem fecerat 3, 14 sqq.

Apostolo significari contendunt. Cet. in hunc l. peculiaris est Witsii commentatio in Miscell. sacr. II, p. 199 sqq.

V. 29. τότε tempore Abrahami. ὁ κατὰ σάρκα γεννηϑ. i. e. Ismaël. — διώκ. *vexare, lacessere,* 5, 11. 2 Cor. 4, 9. al. De his vexationibus unus tantum locus est Gen. 21, 9., sed Judaei, ut fit, rem auxerunt et exornarunt v. Breschith rabb. 53, 15. R. Asaria dixit: dixit Ismaël Isaaco: eamus et videamus portionem nostram in agro, et tulit Ism. arcum et *sagittas et iaculatus est Isaacum et prae se tulit, ac si luderet* (Prov. 26, 19.) v. tamen Calvin. ad h. l. — νῦν ita nunc vexat Judaeorum atrocitas rem christianam. — V. 30. λέγ. Gen. 21, 10. Solennis est haec formula 2 Cor. 6, 2. Eph. 4, 8. 5, 14. v. supra 3, 16.

V. 1. τῇ ἐλευϑ. - - - στήκετε (de qua verbi forma v. Buttm. ausf. Gramm. II. p. 21.). Eadem structura 2 Cor. 1, 24.; al. στήκ. ἐν 1 Cor. 16, 13. (15, 1.) cet. Illud est, ut si vern. dicas: haltet Stand *der* Freiheit, i. e. nolite eam deserere, ab adversariis circumventi deponere. Fortis animi est, *stare* libertati, ignavi despondere, militis instar, qui stationem deserit. ᾗ ἡμ. ἠλευϑέρ. vel *cui* nos liberavit h. e. *in quam* nos vindicavit Chr. vel *qua nos liberavit* (a legis imperio). *Hoc* post vulg. interpretem Calvin., Piscator, Rück. praetulerunt, illud suasit Morus, recte. In nonnullis codd. legitur ᾗ vel τῇ ἐλευϑ. ἡμ. Χρ. ἠλευϑ. Στήκατε οὖν etc. Conspirat Vulg. (qua libertate Christus nos liberavit. State et nolite etc.) et Syr. post., probant Millius, Bengel., Griesbach., non male. — ζυγ. δουλ. *iugum servitutis* (Soph. Ai. 924. Justin. 6, 9. 7.) — apud Cic Phil. 1, 2. 6. est: iugum *servile* — dicit legem mos. cf. Act. 15, 10. (βάρος v. 28.) et Kuinoel. ad Mt. 11, 29. Theophyl. ad h. l.: τὸ δὲ πάλιν ἀναισϑησίαν αὐτῶν κατηγορεῖ, εἴγε πείρᾳ μαϑόντες τὸ φορτικὸν τῆς δουλείας, πάλιν ἐπ' αὐτὴν αὐτομαχοῦσιν. — ἐνέχεσϑαι dicuntur propr. omnia, quae laqueis,

retibus, iugis etc. capta vinctaque *tenentur* (Herod. 2, 121.); itaque satis accommodatum est ad v. ζύγου. Sed graeci etiam scriptores passim transferunt (omissa iugi mentione) ad animos hominum, qui non sunt sui arbitrii sed vel cupiditatibus (Plutarch. de sera num. vind. p. 544. Arrian. Epict. 3, 22. p. 468.) vel legibus (ἐνέχεσθαι νόμῳ Dio Cass. 53, 18.) serviunt. Sim. ἔνοχον εἶναι δουλείας Hebr. 2, 15. ubi v. Valcken. De μή c. imp. *praes.* v. Grammat. N. T. p. 444.

V. 2. ἰδέ scripsit ad excitandos animos, nam grave quid dicturus est. Interponit suam, Pauli, auctoritatem, quae non potuit apud Gal. non multum valere Gal. 4, 19. *Ego Paulus*, qui probe noverim, quid sit ὠφελεῖσθαι ἐκ Χριστοῦ. Bene Theophyl.: τὴν τοῦ οἰκείου προςώπου ἀξιοπιστίαν ἀντὶ πάσης ἀποδείξεως τίθησιν. — Χριστ. ὑμᾶς οὐδ. ὠφελ. caussa in promtu cf. v. 4.; scil. *circumcisio* legis est, lex autem et χάρις non possunt unâ ad salutem valere Rom. 11, 6. coll. 6, 14 sq. Bene sententiae vim perspexit Chrysostomus [40]). Lenius tamen de eadem re sensit Paul. Act. 16, 3. cf. 1 Cor. 9, 20 sqq.; ibi enim περιτομή res indifferens visa non salutis fons, cf. Calvin. ad h. l. — V. 3. *Testor autem denuo* cet. δέ non valet pro γάρ, in quo errore multi fuerunt, sed praemittitur verbis, quibus mentem suam accuratius explicaturus P. est: hoc *autem* mihi volo. μαρτύρομαι aliquanto grandius quam λέγω; non sententiam proponit meditando a se repertam sed *testimonium* a divina ἀποκαλύψει 1, 12. 16. profectum. πάλιν non sign. *contra*, ut Koppio placuit (et Fritzsch. ad Matth. p. 166 sq.), sed *denuo, iterum*; sc. hoc ipsum iam prius testatus fuerat coram, cf. 1, 9.

---

40) Calixt.: in iustificationis negotio stare simul non possunt fides et opera, n. iustificari ex fide in Chr. et iustif. ex operibus legis posito uno necesse est alterum tolli.

Ceter. qui factum, ut nonnulli libri πάλιν omittant, nemo non intelligit v. Whitby ad h. l. — ὅλον τὸν νόμ. *totam legem*, quoniam lex, cujus pars est de circumcisione praeceptum non particulatim sed una ac tota debet observari 3, 10. add. Jac. 2, 10 sq. Simil. περιτέμνειν et παραγγέλλειν τηρεῖν τὸν νόμον iunguntur Act. 15, 5. Si vos, inquit Paulus, circumcidendos curatis, non licet hac una in caussa legi obtemperare, sed debetis totam legem recipere h. e. religionem chr. omnem abiicere v. 4. Videtis igitur, quorsum vos abripere velint isti homines.

V. 4. Geminum attende asyndeton, unde sententiis vis accedit. — κατηργ. Sim. καταργεῖσθαι ἀπὸ τοῦ νόμου *lege exsolvi, a lege immunem fieri* dixit Paulus Rom. 7, 2. 6. H. l. immunes fieri a Christo i. e., ut bene Theophyl.: οὐδεμίαν κοινωνίαν ἔχειν μετὰ τοῦ Χριστοῦ. Artic. ante Χριστοῦ abest a codd. B C D et all., eaque de caussa et quod Paul. in tali sententia non solet ὁ Χρ. scribere, eiiciendus videtur Gersdorfio (Sprachchar. I, p. 276.). — δικ. sc. ex inani vestra opinione. — χάριτ. ἐξεπέσ. *gratia excidistis* ea, quae ex fide Christo habita v. 5. adeoque nulla legis vel legi convenienter factorum vi (v. 6.) salutem aeternam tribuit. De hoc voc. ἐκπίπτ. sensu cf. 2 Petr. 3, 17. μὴ ἐκπέσητε τοῦ ἰδίου στηριγμοῦ, Sirac. 34, 7. Plutarch. Grach. p. 834 E. Athen. 14. p. 613. Dio Cass. 42, 16. Elsner. p. 194 sqq. ἐκπίπτ. ἐκ τ. dixit Aelian. V. H. 4, 7. — V. 5. ἡμ. homines vere christiani, qui nihil curamus τὸν νόμον. — ἐλπ. δικ. ἀπεκδεχ. pleon. dictum: videtur P. aliud verbum (ut ἔχομεν) in mente habuisse (cf. sim. loc. Tit. 2, 13. 2 Cor. 8, 24. τὴν ἔνδειξιν τῆς ἀγάπης ἐνδείξασθε et Polyb. 8, 34, 1. ἐλπίδες προςδοκωμέναι), nisi velis ἐλπ. δικ. ita interpretari: δικαιοσύνην illam, cuius spem hominibus fecit ἡ ἐπαγγελία τοῦ θεοῦ. Sic fere Calixt. et Schottus. Minus recte, in hac certe

sententiarum continuatione, Grotius: spes illa, quae iustitiae (spirituali) proposita est 2 Tim. 4, 8. — πνεύμ. in Christi communione, quae nec iniri nec conservari potest nisi πίστει. πν. non σαρκί (v. 6. περιτομῇ), ἐκ πιστ. non ἐξ ἔργων.

V. 6. Ostendit, quam vere dixerit v. 5. ἐκ πίστεως. ἐν Χριστ. h. e. si quis est ἐν Χριστῷ (in der gläubigen Verbind. d. Mensch. m. Chr.), non quaeritur in conferendis beneficiis divinis, quae per Christum parta sunt, utrum sit natione Judaeus an Ethnicus. — δι' ἀγάπ. ἐνεργ. quae amore mutuo sese declarat. Hunc Rom. 15, 30. ἀγάπην τοῦ πνεύματος dicit eumque persaepe et studiosissime commendat 1 Cor. 13, 1 sq. Rom 13, 10. Bene in h. l. commentatus iam est Oecumenius.

V. 7. ἐτρέχ. καλ. *bene* h. e. convenienter institutioni meae, vos gessistis (repudianda lege mos. omnique in Christo reposita spe). — τ. ὑμ. ἐνέκοψ. *quis vos retardavit* (v. Elsner. p. 194.) h. e. impedivit, quominus amplius verae religionis studeretis, Act. 24, 4. 1 Thess. 2, 18. Sed multi iique antiquissimi libri habent: ἀνέκοψε, quod et ipsum est *cursum inhibere* (Theophr. Char. 25, 1. Polyaen. 1, 1.). Probarunt Grotius, Millius, Bengelius, Griesbachius. — τῇ ἀλ. μὴ π. v. ad 3, 1. De μή ad verba, in quibus ipsis inest negandi vis (ut h. l. in ἀνακόπτ.), insuper adiecto v. qui laudati sunt in Grammat. N. T. p. 532. et Buttmann. ad Demosth. Mid. p. 142 sqq. — V. 8. Voc. πεισμονῆς neque apud LXX neque ap. exteros legitur, si ab uno Eustathio discesseris (in Iliad. 1. p. 21. 46, 2. p. 637., in Odyss. 22. p. 785. 22.). Quid significet, dubitatur a viris doctis; alii enim vertunt: *credulitas*, assentiendi facilitas, *fides* i. q. πεῖσμα (ita Schleusner., Schottus, Stolzius, de Wettius), al. *persuasio*, *persuadendi solertia*, *sollicitatio* (qua usi sunt

falsi doctores, contra quos disputat P.). Illud praefero cum Passovio. Syr. et Vulg. admodum ambigue: פיסכון, *persuasio vestra.* Ceterum nota paronomasiam cf. Gramm. N. T. p. 560 sq. — οὐκ ἐκ τοῦ καλ. non profecta est (quemadm. ἡ πίστις) a Deo (v. ad 1, 6.), non habet eum auctorem. Hac μειώσεως figura passim utitur Paul., Rom. 1, 28. Hebr. 13, 17.

V. 9. Ita fuit in proverbio cf. 1 Cor. 5, 6. Sententia est: vel pauci homines perperam docentes possunt omnem coetum corrumpere, transversum agere. ζύμη de falsa doctrina solenne est nostris, v. Mt. 16, 6. 1 Cor. 5, 7. Simil. 2 Tim. 2, 17. ὁ λόγος αὐτῶν ὡς γάγγραινα νομὴν ἕξει, nec multum abhorret Arab. proverb.: *parum amaritudinis corrumpit multum dulcedinis.* [Paullo aliter Theophyl.: ἡ περιτομή, μία οὖσα ἐντολή, εἰς τέλειον Ἰουδαϊσμὸν ὑμᾶς μετακαλεῖ, add. Chrysost. p. 716. Ita multi recentiorum. Sed non puto, v. 9. redire Apostolum ad ea, quae v. 3. tetigerat, praesertim cum etiam v. 10. de magistris, errorum auctoribus, disserat.] Pro ζυμοῖ boni libri (D*E) codd. lat. ap. Hier. et Marcion ap. Epiphan. habent δολοῖ, quod Valckenarius (Select. e schol. II. 178.) praeferendum existimat. ζυμοῖ enim poterat e loco 1 Cor. 5, 6. invehi.

V. 10. πέποιθα ἐν κυρ. iungenda sunt: *fiduciam pono in Deo,* cf. Phil. 2, 24., nec fuit, quod interpretes in hoc voc. ἐν κυρ. explicando sese torquerent v. Borger ad h. l. — ἄλλο quam quod ego in superioribus vos edocui. — φρον. sc. lecta hac epistola. βαστάζ. τ. κρ. est poenas ferre, in se suscipere, luere, i. q. λαμβάνεσθαι κρ. Mt. 23, 14. Rom. 13, 2. — V. 11. ἐγὼ δέ, εἰ περιτ. ἔτι κηρ. Haec vulgo perperam vertunt: *ego si adhuc praedicarem – – quare vexarer?* Sensus est: *ego vero* (a crimine adversariorum transgreditur ad suum quoddam

crimen) *si adhuc* (postq. Christi caussam complexus sum) *circ. praedico* (tanquam in qua vis insit ad salutem aetern.) sc. ut isti dicunt aliis in locis a me factum esse (cf. Act. 16, 3.) v. Hieron. et Pelag. h. l. — Frequens est apud P. σταυρὸς τοῦ Χρ. pro morte Christi cruenta (quâ sublata est omnis Judaeorum disciplina 1 Cor. 1, 17. 18. Gal. 6, 12. 14. Phil. 3, 18.). σκάνδ. autem dic., quod eo inprimis offendebantur Judaei, quod Jesum, cruci affixum, Messiam esse omnemque legem mos. abrogasse docuerunt Apostoli. Theophyl.: δι' οὐδὲν ἕτερον σκανδαλίζονται (Ἰουδαῖοι) ἐπὶ τῷ τοῦ σταυροῦ κηρύγματι καὶ οὐ παραδέχονται τοῦτο, εἰ μὴ διὰ τὸ καταλύεσθαι τὴν περιτομὴν καὶ τὸν νόμον ὑπὸ τούτου.

V. 12. ὄφελ. Indic. iunctum habet apud nostros passim 1 Cor. 4, 8. 2 Cor. 11, 1. cf. Grammat. N. T. p. 270.; de structura hui. voc. seq. fut. indic. v. Graev. ad Lucian. Soloecist. II, p. 730. — καί, non solum *circumcidi,* qua re tantopere delectantur v. 2 sqq. — ἀποκ. Chrysost. ita: εἰ βούλονται, μὴ περιτεμνέσθωσαν μόνον, ἀλλὰ καὶ περικοπτέσθωσαν, *non modo circumcidant se, sed adeo genitalia sibi exsecent.* Oecumen.: τοιγαροῦν μὴ μόνον περιτεμνέσθωσαν ἀλλ' εἴθε καὶ ἀποκόπους ἑαυτοὺς ἐποίησαν. Theophyl.: εἴθε μὴ μόνον περιετέμνοντο ἀλλὰ καὶ τελείως ἀπέκοπον τὰ ἑαυτῶν μόρια. In eandem sententiam concedunt Theodoretus, Augustinus, Grotius, Clarius, Semlerus, Koppius, provocantes ad Deut. 23, 1. Arrian. Epictet. 2, 20. [Lucian. Eunuch. 8.] Philon. de vict. off. p. 261. 22., ubi ἀποκεκομμένοι, ἀποκοπτόμενοι sunt: quibus amputatum est membrum virile, hinc Hesych. ἀπόκοπος· εὐνοῦχος. Non aliena est haec interpretatio aut a sententiarum nexu, aut ab ingenii vehementia, quae fuit in Paulo Ap. Similem locum habes Phil. 3, 2. βλέπετε τὴν κατατομήν. Alii, in quibus Erasmus, Piscator,

Calixt., Michaelis, sic explicant: *utinam e coetu christiano excludantur vel pereant* (כרת). Neque hoc temere: nam, etsi largimur, voc. ἀποκόπτ. apud LXX. nusquam respondere hebraico כרת *e coetu* (Jud.) *eiicere* (pro hoc enim ubivis est ἐξολοθρεύειν): tamen ubi paronomasiae efficiendae studio ducuntur, optimi quique scriptores verba rariora ponere haud dubitant, v. supra ad v. 8. Al. *utinam ipsis spes* (vos corrumpendi) *praecidatur* v. Elsner. p. 196. et Wolf. ad h. l.; sed vix potest ἀποκ. simpl. ita dici. De fut. med., quod h. l. sensum passivum habet, v. Grammat. N. T. p. 227 sq. — ἀναστ. i. q. ταράσσοντες v. Act. 17, 6. 21, 38., nisi quod illud gravius est et ad ea, quae e mentis perturbatione oriuntur, studia et invidias pertinet.

SECTIO NONA.

CAP. V. v. 13. — VI. v. 10.

Ostendit, Christianorum libertatem alienam esse ab omni cupiditatum servitio, et in amore mutuo unice contineri. Hunc iis vehementer commendat, virtutisque studium quale esse debeat, copiose exponit.

V. 13. ἐπ' ἐλευθ. ut libertatis participes redderemini. ἐπί enim seq. dat. finem et consilium indicare constat v. 1 Thess. 4, 7. οὐκ ἐκάλεσεν ἡμᾶς ὁ θεὸς ἐπὶ ἀκαθαρσίᾳ add. Xenoph. Anab. 7, 6, 3. καλεῖν ἐπὶ ξενίᾳ, Aelian. V. H. 3, 37. Athen. 1. p. 223. Dion. Hal. de Thuc. 36,

3, 4. rel., quanquam non multum interest, si vertis: *vocati estis* (ad salutem per Chr. consequendam) *ea conditione, ut liberi essetis.* — μόν. μὴ sed cavete ne — v. ad 2, 10. — τὴν ἐλευθ. εἰς ἀφ. sc. τρέπετε vel τρέψητε, ne vobis inde nascantur peccatorum illecebrae. Eiusmodi ellipsis post μόνον δὲ nec exteris scriptoribus inusitata est v. Arrian. Epict. 3, 24. ἀφορμή in malam partem, ut 1 Tim. 5, 14. Rom. 7, 8. add. Demosth. 3. c. 7. (1. p. 16. Reisk.) ἀφορμὴ τοῦ κακῶς φρονεῖν. Oecumen. bene: μὴ ἀποχρήσησθε τῇ ἐλευθερίᾳ εἰς τὸ δουλεύειν ταῖς τῆς σαρκὸς ἐπιθυμίαις cf. Dion. Hal. ep. 3, 9. et de Thucyd. 10, 2., ad rem ips. 1 Petr. 2, 16. — τῇ σαρκ. v. Rom. 7, 18 sqq. Theodor. ad v. 19.: τὸ σαρκικὸν φρόνημα, τῆς ψυχῆς τὴν ἐπὶ τὰ χείρω ῥοπὴν appellat. — διὰ τ. ἀγάπ. δουλ. circumscribenda est ista libertas mutuo amore; hic autem habet aliquam servitutis speciem, siquidem amantes non quod sibi, sed quod his, quos amant, placet, facere solent; facere autem, quae aliis placent, servorum est cf. Chrysost. ad h. l. Usus est P. hoc voc. δουλ., ut esset contrarium τῇ ἐλευθερίᾳ cf. 1 Cor. 9, 19. 1 Petr. 2, 16. 2 Petr. 2, 19.

V. 14. ὁ πᾶς νόμ. *tota lex* (opp. uni alicui particulae legis, quam isti sibi custodiendam sumserunt); λόγ. sententia, praeceptum, Rom. 13, 9. — πληρ. *tota absolvitur* i. q. ἀνακεφαλαιοῦται, Rom. l. c. Utitur loco Lev. 19, 18. cf. interprr. ad Mt. 19, 19. — ἑαυτ. ut est in plurimis libris (pro σεαυτόν) refertur h. l. ad 2. pers. sing., de quae re v. Grammat. N. T. p. 136. Sed haud pauci codd., ut A B C D E, habent σεαυτόν, quam lectionis varietatem v. etiam Xenoph. Cyrop. 1, 6. 44. (ibiq. Poppo) et passim ap. Graecos. — V. 15. δάκν. *arrodere* de iis, qui invidia al. persequuntur, iniuria afficiunt, calumniantur, lacessunt, sexcenties apud exteros quoque

scriptores legitur [41]), Xenoph. Cyrop. 1, 4, 13. 4, 3, 2. Arrian. Epict. 2, 22. Liban. IV, p. 513. cf. Maii observatt. sacr. II, p. 87 sqq. Gataker. ad Antonin. p. 333. Spanhem. ad Aristoph. Plut. 12. Barnes. ad Eurip. Rhes. 596. al. — κατεσϑ. Sim. locus est ap. Plutarch. adv. Colot. c. 30. cf. Athen. 6. p. 254. Terent. Eunuch. 3, 1, 20. Add. hebr. Ps. 27, 2. — ὑπ' ἀλλ. ἀναλωϑ. *ne invicem absumamini.* Accommodavit hoc voc. illis δάκν. et κατεσϑ.: nam, qui se invicem devorant, absumunt, perdunt semetipsos. Sens. igitur est: *ne vobis invicem perniciem afferatis.* Non cogitavit, opinor, de poenis divinis, ut Grotius vult, nec de universi coetus pernicie, quemadmodum statuit Koppius, sed *generatim* dixit, de omni, quod ex istis dissidiis oriri poterat, detrimento, v. qui bene de hoc l. disseruit, Bengelius.

V. 16. πνεύμ. περιπατ. i. q. κατὰ πνεῦμα περιπ. Rom. 8, 4., στοιχεῖν πνεύματι infra v. 25. Dativum illustrabis e loc. 2 Cor. 12, 18. Act. 21, 21. — οὐ μὴ τελέσ. cet. i. e. *nullo modo obsequium* amplius *praestabitis cupiditatibus* cet. *Illud* ubi feceritis, cupiditatum imperium sublatum erit. Ita iam vers. Philox. et Grotius cf. Rom. 2, 27. Sim. formula ἐπιτελεῖν τὴν ἐπιϑυμίαν usus est Achill. Tat. 2. p. 91. ed. Salmas. Alibi dicit Paul. ποιεῖν τὸ ϑέλημα τῆς σαρκός Eph. 2, 3., κατὰ σάρκα περιπατ. Rom. 8, 4., τὰ τῆς σαρκὸς φρονεῖν Rom. 8, 5. cet. Cet. cf. αἱ ἐπιϑυμίαι τοῦ σώματος ap. Plat. in Phaed. §. 30. et Xenoph. in Apol. Socr. §. 16. v. tamen Arrian. Epictet. 2, 22.

---

41) Ar. *utinam obmutescant* (ad silentium redigantur) cf. κωφός a κόπτειν.

V. 17. γάρ reddit rationem eius, quod P. v. 16. monuerat: eum, qui ab ἐπιϑ. τῆς σαρκός abstinere velit, uni πνεύματι se tradere debere, inde apparet, quod dum manet aliqua τῆς σαρκός vis, perpetua est πνεύματος et σαρκ. lucta, qua fit, ut homo anceps haereat honestum inter et pravum. — ἀντίκ. ἀλλήλ. Simil. Porphyr. de abstin 1, 56. τοῖς νόμοις τοῦ σώματος ἕπεσϑαι, βιαίοις οὖσι καὶ ἀντικειμένοις τοῖς τοῦ νοῦ νόμοις τλ. Add. Sext. Empir. hypot. 2, 14. — ἵνα μή atque huius luctae hoc est consilium, *ut* cet. v. Piscator ad h. l, qui accurate distinguit ab ὥςτε μή (οὐ). Scil. τὸ πν. impedit vos, quo minus perficiatis τὰ τῆς σαρκός (ea, quae ἡ σάρξ perficere cupit), contra ἡ σάρξ adversatur vobis, ubi τὰ τοῦ πνεύματος peragere studetis. Lucem accipit hic locus ex alio, qui est Rom. 7, 18. cf. etiam Xenophont. Cyrop. 6, 1, 41.: δύο σαφῶς ἔχω ψυχάς. — οὐ γὰρ δὴ μία γε οὖσα, ἅμα ἀγαϑή τέ ἐστι καὶ κακή, οὐδ' ἅμα καλῶν τε καὶ αἰσχρῶν ἔργων ἐρᾷ, καὶ ταῦτα ἅμα βούλεταί τε καὶ οὐ βούλεται πράττειν, ἀλλὰ δῆλον, ὅτι δύο ἐστὸν ψυχὰ καί, ὅταν μὲν ἡ ἀγαϑὴ κρατῇ, τὰ καλὰ πράττεται, ὅταν δὲ ἡ πονηρά, τὰ αἰσχρὰ ἐπιχειρεῖται. add. Ciceron. Tusc. 2, 21. Arrian. Epictet. 2, 26. Maxim. Tyr. diss. 28, 7. p. 341. ed. Markland. et Schöttgen. diss. de lucta carnis et spiritus sec. disciplin. vett. Hebr. in hor. hebr. p 1178—1205.

V. 18. Curate, ut solum τὸ πνεῦμα (nova illa vis a Deo concessa) vestram voluntatem regat; ita σάρξ non habebit amplius vim atque lucta ista sublata erit. οὐκ ἐστὲ ὑπὸ νόμ., quippe quae poenis propositis τὴν σάρκα coerceat eique victoriam praeripiat; ihr seid dem Gesetze entwachsen. Chrysost.: νῦν δὲ τῆς χάριτος διδομένης τῆς οὐ κελευούσης μόνον αὐτῶν (ἐπιϑυμιῶν) ἀπέχεσϑαι, ἀλλα καὶ παραινούσης αὐτὰς καὶ πρὸς μείζονα πολιτείαν ἀνα-

γούσης, τίς χρεία νόμου; τῷ γὰρ οἴκοθεν κατορθοῦντι τὰ μείζω ποῦ χρεία παιδαγωγοῦ; Add. Pelag. Cf. 1 Tim. 1, 9.

V. 19. Ponit aliquot vitiorum exempla; neque enim totum hunc locum, qui late patet, voluit persequi. Similem flagitiorum, a quibus cavendum est hominibus christianis, indicem v. Rom. 1, 29 sqq. 2 Cor. 12, 20 sq. Eph. 5, 3—5. Redeunt autem, quae hic enarrantur, ad quattuor potissimum genera: unum comprehendit *libidines* μοιχ. — ἀσέλγ., alterum *superstitiones* εἰδωλ. φαρμ., tertium cernitur in *contentionibus* et *inimicitiis* ἔχθρ. — φόν., quartum denique pertinet ad *commessationes* μέθ., κῶμ. — μοιχ. et πορν. iunguntur etiam Hos. 2, 2. Mt. 15, 19. Mr. 2, 21. Sed μοιχ. deest hic in bonis libris pluribusque verss. orientall. Si a P. manu profectum, sign. adulterium, πορν. vero concubitum, qui extra nuptias fit et ipsas nuptias illegitimas v. Grotius ad h. l. — ἀκαθ. saepenumero dic. de veneris nefandae flagitiis (ut hebr. נִדָּה Lev. 20, 21.) max. de mutua marium contaminatione, Rom. 1, 24. 2 Cor. 12, 21. Ephes. 4, 19. — ἀσέλγ. Graecis est, ut Etym. M. explicat, ἑτοιμότης πρὸς πᾶσαν ἡδονήν (v. Bremi ad Demosth. p. 157.), inpr. libido effrenata, lascivia venerea, qnae continetur in sermonibus, gestibus cet. Rom. 13, 13. 2 Cor. 12, 21. Eph. 4, 19. — εἰδωλ. proprio sensu capiendum, ut 1 Cor. 10, 14. Jungitur autem superioribus, ut recte vidit Koppius, quia solenne erat Hebraeis etiam idolorum cultum omnemque a Deo defectionem, quanquam alio sensu, appellare זְנוּת, scortationem. Accedit, ap. gentiles etiam res venereas finitimas fuisse deorum cultui. — φαρμ. potest duplici modo explicari, vel est: *veneficium* (Polyb. 6, 13. 4. 10, 3. 7.), quod quidem scelus tum maxime invaluerat (Sueton. Ner. 33. 34. 35. Tib. 73. Claud. 1. Tac. Ann. 12, 66. Val. Max. 2, 5, 3. Plin. ep.

7, 6.), vel sign. *artes magicas, praestigias, fascinationes* [42]), quas daemonum ope fieri opinati sunt, ut Herod. 7, 114. Apoc. 9, 21. 18, 23. LXX. Jes. 47, 9. 12., ubi pro כשׁפים ponitur cf. Exod. 7, 11. להטים, φάρμακοι, *Pharmaceutria* Virg. Ecl. 8. in., adde Latinos etiam *veneficium* dicere pro incantationibus Cic. Catil. 2, 1. Ovid. Heroid. 6, 19. Itaque *hoc* praefero cum Grotio, Semlero all. tum, quod in his libris idololatriae perpetuo iungi artes magicae solent Deut. 18, 10 sqq. Exod. 22, 17. tum quod hae ipsae in Asia (minore) multum vigebant cf. intpt. ad Act. 19, 19. Conspirat Syr. חרשותא, quod voc. oritur a חרשׁ surdum, mutum esse; nam praestigiatores voce usi sunt exigua et tenui cf. Gesen. ad Jes. 1, p. 343.

V. 20 sq. De voc. θυμοί (2 Cor. 12, 20. Aristot. Probl. 30.) v. Tittmann. Synon. 8. p. 12. διχοστασ. dissidia, factiones Rom. 16, 17. 3, 2., αἱρέσ. sectae, quae e dissidiis oriuntur 1 Cor. 11, 19. φόν. deest in Cod. Vat. et quinque aliis, omittitur etiam a Clem. Al., Iren., Cypr., Hieron., Ambros., August. ac facile potuit et praeced. φθόνοι oriri. Neque tamen propterea cum Millio, Semlero et Koppio eiiciendum putaverim; iungitur utrumque voc. φθόν. et φόν. etiam Rom. 1, 29., ubi de vitiis hominum a pietate christ. alienorum exponitur. Tales autem sunt, qui h. l. perstringuntur, σαρκικοί. Etenim quod Koppius dicit, non potuisse Paulum h. l. *criminis* mentionem iniicere, quod non tam religione, quam ipsis legibus civilibus coerceri et puniri ubique soleat, id parum placet: nam hoc discrimen in Apostolos non cadit, cf. Eph. 4, 28. 1 Cor. 5, 11. 6, 10. Rom.

---

42) φάρμακα enim dicuntur *potiones*, *unguenta* cet., quibus praestigiae fieri solent.

2, 21 sqq., quippe qui non e metu poenarum civilium, sed e vera pietate omnem virtutem nasci vellent. Deinde adulteria scortationesque et ipsae legibus erant vetitae; accedit, quod φόν. facile omitti potuit in tanta vocis praecedentis φθόν. similitudine. Denique paronomasia, qualis est in vocc. φόν. et φθόν (v. Eurip Troad. 763. d'Orville ad Charit. 4, 2. p. 66), Pauli ingenio cum maxime accommodata est. — μέθ. καὶ κῶμ. copulantur etiam Rom. 13, 13. Dio Cass. 65. p. 735.; κῶμοι sunt comessationes, epulae lascivae et luxuriosae, quae quales apud Graecos et Romanos fuerint, e veteribus monumentis docuit C. G. Schwarz Diss. de comessationib. Vett. Altorf. 1744. 4. add. L. Bos. observ. p. 117. Alberti observ. p 330. Isidor. Pelus. 1, 456.: κῶμός ἐστι μεθυστικὸς ἐγχρονίζοντος οἴνου, ἐρεθίζων τὴν ἡδυπαθείαν καὶ θέατρον ἄσχημον ποιῶν τὸ συμπόσιον, κυμβαλοῖς τισι καὶ ὀργάνοις ἀπάτης καταθέλγων τοὺς δαιτύμονας κτλ. Syr. אמרא *cantus*. προλέγ. sc. ante quam res eo deveniat; προεῖπ. sc. tum cum vos coram instituebam. De structura verb. ἃ - - τοιαῦτα non est quod dicamus.

V. 22. καρπόν dicit, non ἔργα ut v. 18.; illud accommodatius ad ea, quae veram utilitatem afferunt Eph. 5, 9. cf. Oecum. Sed v. tamen Mt. 7, 16. et Dio Chrys. 40. p. 496. τῆς ἔχθρας καρπός, 41. p. 502. — χαρ. (voluptas ex aliorum commodis percepta, Stolz. Mitfreude) opponitur τῷ φθόνῳ· εἰρ. ταῖς ἔρισι, ἐριθ., διχοστασ., αἱρέσεσι· μακροθυμία[43]) τοῖς ζήλοις· ἐγκράτ. τῇ ἀκαθαρσίᾳ· πραότης τοῖς θύμοις cet.; ἀγαθωσ. et χρηστ.

---

43) Theophyl.: μακροθυμία πραότητος ἐν τούτῳ δοκεῖ παρὰ τῇ γραφῇ διαφέρειν, τῷ τὸν μὲν μακρόθυμον πολὺν ὄντα ἐν φρονήσει, μὴ ὀξέως ἀλλὰ σχολῇ ἐπιτιθέναι τὴν προσήκουσαν δίκην τῷ πταίοντι· τὸν δὲ πρᾶον ἀφιέναι παντάπασιν Add. Plat. defin. III. III. p. 567. Bekk.

saepe iunguntur, Rom. 15, 14. Eph. 5, 9. 2 Thess. 2, 11.; *illud* est: benignitas, studium (erga alios) Rom. 15, 14. (quo voc. praeter LXX et patres eccles. nemo Graecorum usus est). πίστ. veracitas, fides, quae non eloquitur alia, alia sentit. πραότ. mansuetudo i. e. animus naturâ sedatus, qui aegre ad iram incenditur (A B C al. πραΰτης ut Jac. 1, 21. 3, 13. 1 Petr. 3, 13.); μακροϑ. quae diu iras reprimit poenasque differt 2 Cor. 10, 1. 1 Cor. 4, 21. al. In fine post ἐγκρ. nonnulli libri addunt: ἁγνεία, Vulg. *castitas.* — V. 23. κ. τ. τοιούτων *contra haec talia*, has tales virtutes (male enim Beza, Bengelius, Koppius all. pro mascul. acceperunt, praeeunte, ut videtur, Theodoreto). Revertitur P. ad v. 18. Cum τὸ πν. non proferat nisi honesta studia, lex autem data sit ad coercendas *pravas* cupiditates, sponte intelligitur, eum qui τῷ πν. regatur, non opus habere lege. Etenim πνευματικός non perpetrat prave facta, quibus solis adversatur lex, sed peragit honesta, quibus non adversatur. Das Gesetz hat nur die negative Bestimmung, die Ausbrüche des sündlichen Willens einzuschränken, beim πν. findet sie aber nichts einzuschränken, also ist das Ges. gar nicht für das πνεῦμα vorhanden. In Bezieh. auf das Gute kann es nichts wirken, herbeiführen kann es dasselbe nicht (das thut blos das πνεῦμα), unterdrücken aber soll es dasselbe nicht, folglich hat seine Wirksamkeit aufgehört [44]). De artic. voci τοιουτ. praemisso *(haec talia)* v. Schäfer Mel. p. 32. 97. 43. Engelhardt ad Plat. Lach. p. 14.

V. 24. οἱ τοῦ Χριστ. v. ad 3, 29. Haud pauci libri exhibent: τοῦ Χρ. Ἰησοῦ, quod recte improbavit Gers-

44) In eundem sensum accepit Oecumen. ὁ γὰρ ταῦτα κατωρϑωκὼς οὐ δεῖται τοῦ παιδαγωγοῦντος νόμου· ὑψηλότερος γὰρ αὐτοῦ ἐστιν.

dorfius l. c. p. 276. — ἐσταύρ. τ. σάρκ. omnem pravae indolis vim fregerunt, exstirparunt, cf. Rom. 8, 13. et infra 6, 14. — V. 25. ζῆν πν. (oppos. τῷ ζῆν σαρκί) est: spiritu divino teneri, agi. — στοιχ. obsequamur etiam illi πν., quod in nobis inest, factisque exprimamus meliorem mentis indolem. De verbo cf. Rom. 4, 22. Gal. 6, 16. Phil. 3, 16. add. Sext Empir. adv. Math. 1, 178. Stolzius: wenn also der Geist uns belebt, so lasst uns auch dem Geiste gemäss verhalten. — V. 26. κενόδ. qui vanam gloriam captat h. e. ex iis rebus, unde vera gloria peti non potest. Saepe tangit Ap. hunc quorundam hominum fastum, qui se sapientiores aliis putabant cf. inpr. 1 Cor. 4, 6. 8, 1. et contra 1 Cor. 13, 4. — προκαλεῖσθαί τινα pr. est *ad pugnam provocare, evocare* aliquem Thuc. 7, 8. Aelian. V. H 1, 24. Heliod. Aeth. 10, 25. (v. Wesseling ad Diod. Sic. 1, 22. et Bast epist. crit p. 56.), hinc generatim *lacessere, irritare* al.

V. 1. ἐὰν καὶ προλ. i. e. *etiamsi (si vel) quis ante deprehensus fuerit in peccato, eum tamen* (iterum peccantem) *corrigite* (cf. καταλαμβάνεσθαι inpr. Lucian. Hermot. 77. et προκαταλαμβ. Dio Cass. 37, 12.). Sed omnes fere interpretes ut (post Syrum) Erasm., Calovius, Kypk., Elsner., Cramerus, Schottus, Stolzius, de Wettius vertunt: si *invitus* et *improviso* abreptus (circumventus quasi) fuerit vitio quodam. Ita legi voc. προλ. dubito, certe loci, ad quos isti provocant, huc non pertinent (nam Joseph. b. iud. 5, 22. 7, 16. προλαμβάνεσθαι est: *praecipi, praeripi*, zuvor weggenommen, ergriffen werden, ap. Strab. vero Geogr. 16. p. 775. (1120.) [et Diod Sic. 14, 63. Plutarch. amator. p. 749. Polyaen. 3, 6. Heliod. Aeth. 1, 26. 50.] *praeverti, praeveniri*), insuper autem pro ἐν τ. παραπτ. scribi debuisse videtur τ. παραπτώματι vel, ut placuit Ernestio (neue theol.

Bibl. III, p. 512.) ὑπὸ τ. παραπτώματος, nam mirum in modum fallitur Flattus, qui ἐν pro ὑπὸ legi putat Act. 4, 9. 1 Cor. 7, 22. 12, 9. Parum placet etiam Grotius, qui h. l. ita explicat: *si quis antea* (h. e. antequam haec ep. ad vos veniat) *deprehensus fuerit:* ita enim vocis καὶ potestas plane praetermittitur. Postremum qui vertunt: *etiamsi quis palam depreh. fuerit*, hi videant, an omnib. verbis a προ incipientibus sine discrimine et praeter manifestum linguae usum ista significatio tribui possit. — ἀνθρωπ. - - πνευματ. Similiter Rom. 15, 1. sibi opponuntur δυνατοί et ἀδυνατοί. πνευματ. enim appellat qui spiritu divino eam mentis animique vim consecuti sunt, ut et aliorum delicta facile sentiant et efficaciter corrigere possint ac debeant. καταρτίζειν autem *reficere* est h. l. pristinae mentis integritati restituere, ad bonam frugem revocare. Theodoret.: διορθοῦσθε, στηρίζετε, τὸ ἐλλεῖπον ἀναπληροῦτε. — ἐν πνεύμ. πραότ. (1 Cor. 4, 21.) *mansuetudinem* commendat P. tum propter ea, quae statim adduntur, tum ne horum, qui deliquerunt, animos asperet. Argutatur in hac form. Baumgartenius. σκοπ. structura sibi non constat; scribere voluit σκοποῦντες [45]). Sed passim transeunt scriptores etiam exteri a plurali ad singularem et vicissim cf. Gatacker. ad Mc. Anton. 4, 19. Schweighäus. ad Arrian. Epict. II 1. p. 94. 278., Matthiae ad Eurip. Orest. p. 111. Contrarium habes 1 Cor. 4, 2. Syr. h. l. sing. in plur. mutavit, ut oratio sibi constaret, cf. etiam Cyprian. ep. 52.

V. 2. τὰ βάρ. βαστ. onera h. e., ut iam post Oecumenium Calvinus explicuit, delicta, vitia, quanquam

45) Calvinus praeeunte Erasmo: „non temere, inquit, numerum mutavit: nam efficacior est admonitio, dum sigillatim unumquemque appellat iubetque in se ipsum descendere.“ Sed hoc est, si quid video, emphases venari.

molesta, invicem ferte aequo animo. De verbo βαστάζειν v. Rom. 15, 1. Ad rem vero ipsam cf. loc. egregium Mc. Antonini 11, 18. Theodoret.: τὸ δὲ ἔχεις τὸ ἐλάττωμα σύ, τόδε οὐκ ἔχεις· ἐκεῖνος τὸ ἐναντίον, ὃ μὲν ἔχεις, οὐκ ἔχει, ἕτερον δέ, σὺ φέρε τὸ ἐκείνου· κἀκεῖνος τὸ σόν. Non recte intellexit h. l. Michaelis: sehet die Schuld, die sich der Irrende aufladet, mit mitleid. Augen an, *als wenn es eure eigne wäre;* neque enim, quam affert, formula arab. *alicuius onus portare* (Coran. 6, 164. 16, 27. cet.) istum sensum habet, sed hoc sibi vult: in poenae pro peccatis luendae societatem venire, quod ab h. l. alienum. *Praesentis* autem imperativi in tali praeceptione opportunum locum fuisse facile patet. — ἀναπλ. τ. νόμ. τ. Χριστ. Dixit νόμ. Χριστ. (quae est lex amoris mutui), ut oppositio esset legis iudaicae, de cuius fracta auctoritate supra exposuerat, cf. Rom. 3, 27. Cet. v. 5, 14. Joa. 13, 34. 15, 12. cet. Pro ἀναπληρ. videntur Syr. Aeth. Arabb. Vulg. legisse ἀναπληρώσετε, quemadmodum in B G et aliis est. ἀναπληρ. autem plus valet quam πληροῦν, quanquam nimii sunt in premenda h. v. Chrysost. et Oecum., quibus accedit Bengelius.

V. 3. δοκ. τις εἶν. τλ. qui honorificentius de se existimat, quam rei veritas patitur, ita ut opinetur, se ab omni βάρει liberum esse. Sim Arrian. Epictet. 2, 24. δοκῶν μέν τὶς εἶναι, ὢν δ' οὐδείς. Plat. Apol. 33. καὶ ἐὰν δοκῶσι τὶ εἶναι, μηδὲν ὄντες etc. add Act. 5, 36. 1 Cor. 3, 7. 13, 2. 2 Cor. 12, 11. et Wetsten. et Kypk. ad h. l. nec non Wyttenbach. ad Plutarch. Morall. 1. p. 399., Locella ad Xen. Ephes. p. 143. — φρεν. cf. φρεναπάται Tit. 1, 10. Qui de virtutibus suis iusto honorificentius existimat, is in turpissimo fraudis genere versatur, in συνειδήσεως suae deceptione.

V. 4. ἔργον ἑαυτ. studia sua, consilia factaque omnia. Oecum τὰ βεβιωμένα αὐτοῦ. v. Jacobs ad Achill. Tat. p. 996. — τότε hoc ubi fecerit. — καύχημα ἔχειν est Rom. 4, 2. gloriandi materiem habere. εἰς ἑαυτ. μόνον verti potest: sibi soli (utpote recte factorum sibi conscius v. 2 Cor. 1, 12., Theodor κατὰ σαυτόν), κ. οὐκ εἰς τ. ἕτ. non aliis (erga alios, i. q. παρ' ἑαυτῷ ut Rom. l. c.). Sens.: non tantas in se ipso reperiet laudes, quibus apud alios quoque glorietur. Stolz: dann wird er nur *gegen* sich selbst und nicht *gegen* Andre sich zu rühmen haben [46]. Aliis interpretibus καύχ. ἔχ. significat: laudes, gloriam *continere*, conclusam quasi tenere εἰς ἑαυτ., in se ipso etc., ita ut verba: εἰς τ. ἕτ. adiecta sint paullo negligentius pro: καὶ μὴ παρὰ τῷ ἑτέρῳ καυχάσθω, quasi vernacule dicas: er *schränke* sie auf sich *ein* und nicht auf Andere. Ita Koppius. Sed illa tamen interpretatio magis placet, ut facilior et consueto loquendi usui accommodata. Theophyl.: εἰς ἑαυτὸν τὸ καύχ. ἐχέτω, τουτέστιν αὐτὸς ἑαυτῷ συγκρινόμενος τοῦ χθὲς ἔργου τὸ σήμερον κρεῖττον νομιζέτω καὶ ἀναβρυνέσθω τῷ ἀγαθῷ ἔργῳ. — V. 5. ἴδιον φορτ. βαστ. suorum vitiorum pondus ipse sentiet, nemo se vitiorum immunem esse intelliget v. Oecum. Alii, praeeunte Theodoreto, ad iudicium extremum referunt: suum quisque onus olim portabit h. e. suorum poenas peccatorum luet. Verum ita non usurus fuisset Ap. simplici futuro. γάρ dicit, quod haec male factorum conscientia reprimere debet altos spiritus, qui forte ex aliqua nonnullarum virtutum conscientia oriri et in καύχημα εἰς τὸν ἕτερον effundi possint.

---

46) Calvinus bene: ea demum est vera laus, non quam aliis detrahendo nobis conciliamus, sed quam habemus sine comparatione. Castalio: probitas in re, non in collatione.

V. 6. κοινωνείτω ἐν πᾶσιν ἀγαϑ. i. e. *magistros in communionem adducite bonorum, opum vestrarum omnium,* sublevate eos benefaciendo coll. Rom. 12, 13. ταῖς χρείαις τῶν ἁγίων κοινωνοῦντες. Graeci dicerent πάντων ἀγαϑῶν pro ἐν πᾶσ. ἀγ. (cf. etiam Gregor. Thaumat. in Eccles. 11, 1.). Cet. v. Thom. Mag. sub v. κοινων. Sed quaeritur, quomodo P. in hanc singularem sententiam repente deductus fuerit. Mihi videtur Ap., cum v. 4. 5. ea tetigisset, quae *priva* sibi quisque habere debeat, nunc contrarii cogitatione ad id descendere, quod cum aliis *communicandum* est, in qua opinione me confirmat et *praepositum* voc. κοινωνείτω et partic. δέ *potius.* Ceterum non multum repugnabo, si quis cum Mynstero l. c. p. 69 sq. vertat: *cum magistris in societatem eorum omnium, quae honesta sunt, venite* (Ioa. 5, 29.); eo certe sensu form. κοινωνεῖν τινί τινος (ἐν τινί) frequentius legitur cf. Aelian V. H. 3, 17, 8. Lucian. conscrib. hist. 4. Atque hanc interpretationem praeiverat iam J. A. Ph. Hennickius in Progr. de nexu loci ad Gal. 6, 1—10. Lips. 1788. 4. Eandem vero sententiam v. 1 Cor. 9, 6—11.

V. 7. Formula μὴ πλαν. utitur P., ubi suos de gravi delicto, quod ipsis leve videtur, admonet 1 Cor. 6, 9. 15. 33. add. Iac. 1, 16. cf. Valcken. Select. II. p. 192. — μυκτηριζ., quod a μυκτήρ *nasus* (qui est irrisionis quasi sedes et instrumentum) oritur, translate sign. naribus suspensis aliquem deridere, illudere (Prov. 15, 20. Iob. 22, 19. Ps. 80, 7.); *Deus non irridetur* vel *non patitur se irrideri* (med.), non cadit in Deum irrisio h. e. non impune fert hominum peccata. Etenim, qui peccant, dicuntur Deo illudere, quod omnipotentem quasi impotentem existimant eiusque minas elevant. — σπειρ. - - - ϑερ. plane ut Cic. Orat. 2, 65. *ut quis sementem fecerit, ita metet* h. e. ut quis in hac vita sese gesserit, ita olim a

Deo reportabit vel praemia vel poenas. Eandem formulam v. Prov. 22, 8. Aristot. Rhetor. 3, 3. p. 171. ed. Lips. (σὺ δὲ ταῦτα αἰσχρῶς μὲν ἔσπειρας, κακῶς δὲ ἐθέρισας) Aeschyl. Pers 322. Callim. in Cerer. 13, 8. ubi cf. Spanhem. Add. 1 Cor. 9, 11. 2 Cor. 9, 6. et Lösner. ad h. l.

V. 8. ὁ σπείρ. εἰς τ. σάρκα in carnem tanquam agrum semen abiiciens h. e. (pravis) cupiditatibus unice indulgens atque inde vitae fructum exspectans, *metet corruptionem* (quemadmodum ipse ille ager, ἡ σάρξ, corruptioni obnoxius est 1 Cor. 15, 53.) h. e. reportabit tanquam praemium mortem et, quae cum ea coniuncta est, miseriam aeternam. — σπ. εἰς πν. i. e. qui menti ad veram pietatem flectendae operam dat, inde omnem salutem (fructum) proficisci existimat etc. Vid. de hoc loco Mori dissertt. I, p. 150 sqq. adde Coran. 42, 19. — Ceterum puto, v. 7. et 8. non pertinere ad solos doctores honorandos, ut plurimi statuunt; sed transgredi Apostolum ab una virtute ad omnis honestatis studium (quemadmodum v. 11., una interposita sententia, statim ad disputationem primariam revertitur). Certe quae v. 9. 10. leguntur, vix possunt ad solos τοὺς κατηχοῦντας trahi.

V. 9. ἐκκακ. Idem voc. est 2 Cor. 4, 1. Ap. Graec. non memini me legere, nam Polyb. 4, 19. 10., quem loc. Wahlius etiam attulit, reperitur in libris ἐγκακεῖν. Ceter. in καλ. et ἐκκακ. levis paronomasia inest cf. 2 Thess. 3, 13. μὴ ἐκκακήσητε καλοποιοῦντες. — καιρ. ἰδίῳ tempore messis divinitus constituto. — μὴ ἐκλ. si non defatigati fuerimus in bene, honeste agendo. Non est τὸ καλ. ποιεῖν de liberalitate intellig., ut bene iam vidit Theodoret., certe voc. θερίσ. ostendit, haec arcte copulata esse c. v. 8. ἐκλύεσθαι *languescere* commode dic. de messoribus, quippe qui coeli iniquitate virium debili-

tatem sentiant i. q. ἐκκακεῖσθαι (עטף) Judith 15, 2. Hebr. 12, 3. add. Deut. 20, 3. Joseph. Antt. 5, 2, 7. al. cf. Valckenaer. ad. Luc. 18, 1.

V. 10. καιρ. *opportunitas*, Eph. 5, 16. καιρόν ἔχειν 1 Macc. 15, 34. Polyb. 40, 10. (Xenoph. Anab. 3, 1, 36.) cf. intpt. ad Thom. M. p. 489 sq. ὡς vel *quoniam* (Eurip. Phoen. 848. Iphig. Aul. 173. Xenoph. Anab. 2, 4, 17. 5, 8, 10. Plat. Legg. 2, 7. p. 662. B. cet.) vel *ut, prout, quomodo* (Thuc. 8, 2. ὡς ἂν καιρὸς ᾖ προβουλεύσουσι) cf. Cohel. 9, 10. Ita Knatchbul. Qui pro ἕως dictum putant (Vulg. et Syr.) vereor, ne praeter usum loquendi faciant, v. Duker ad Thuc. 8, 1. et Brunck. ad Aristoph. VI. p. 169. add. Herm. ad Vig. p. 556. — Pro ἐργαζώμ. in Cod. Alex. et aliis nonnullis leg. ἐργαζομ., qui indicat. fortior est (v. Jacobs ad Anthol. p. 741. et ad Achill. Tat. p. 559.) thuen wir also das Gute cet. [47]). — οἰκεῖος ap. Graec. etiam adiecto genitivo transl. dic. is, qui in alicuius rei communionem cum aliis venit. οἰκεῖοι φιλοσοφίας i. e. (eidem) philosophiae addicti, Strabo 1. p. 7. οἰκεῖοι ὀλιγαρχίας Diod. Sic. 13, 91. H. l. accedit, Paulum chr. ecclesiam οἴκῳ θεοῦ assimilare (Ephes. 2, 19. 1 Tim. 3, 15. cf. 1 Petr. 4, 17.). Vulg. non male: *domestici fidei*, Syr. בני ביתא דהימנותא.

---

47) Nego enim, medicina egere hos tales locos: Lucill. in Anthol. pal. 11, 34. ποιήματα παίζομεν οὕτω, Asclepiad. 12, 50. πίνομεν οὖν γαλερῶς, Julian. Afric. in Cest. c. 2. p. 279. 22. ἄγε δὴ μὴ ἐπιτρέπομεν cet.

SECTIO DECIMA.

CAP. VI. v. 11—18.

Iterum hortatur, ut a falsis istis magistris sibi caveant (11—13.) nec in circumcisione ullam gloriam quaerant (14.), hanc enim ad felicitatem consequendam nihil pertinere (15.). Salutem Galatis dicit (18.).

V. 11. πηλ. γράμ. *quam grandibus* atque adeo deformibus (v. Oecumen.) *literis* vobis scripserim; sic Syr. post Theodoret., Hieron. [48]), Theophyl. [49]) Heinsius. Quid autem sit, quod *grandes* dicat literarum formas, id iudicandum ex eo, quod adiectum legitur τῇ ἐμῇ χ. nimirum *mea manu*, ut a qua meliores exspectari non poterant. Itaque τ. ἐμῇ χειρί non supervacanea sunt, ut de Wettio visum, sed explicandi gratia addita. Scilicet non magnam habebat Paulus scribendi peritiam atque usum; inde factum est, ut plurimas epistolas dictaret Rom. 16, 22. 1 Cor. 16, 21. 2 Thess. 3, 17. 18. Alii, ut Grotius, vertunt: *quam multis* (adj. enim magnitudinis passim de multitudine dicuntur et vicissim, velut πόσος est *quantus* et *quam multus*) *literis* h. e. quam copiose *vobis scripserim*; alii, in quibus sunt Erasmus et Bengelius: *quam longâ*

48) Hieron.: „Paulus, inquit, Hebraeus erat et graecas literas nesciebat et quia necessitas expetebat, ut manu sua epistolam scriberet contra consuetudinem, *curvos tramites literarum vix magnis apicibus exprimebat.*“

49) τὸ δὲ πηλίκοις οὐ μεγέθους ἐστὶ δηλωτικὸν ἀλλὰ τῆς ἀμορφίας τῶν γραμμάτων, ὡςεὶ ἔλεγε· καίτοι μὴ εἰδὼς ἄριστα γράφειν, ὅμως ἠναγκάσθην ἰδιόχειρον τὴν ἐπιστολὴν γράψαι.

epistolâ (γράμματα Act. 28, 21. Xen. Hell. 1, 1. 15. Plutarch Pyrrh. p. 386. Polyb. 28, 11. al.) *vobis scripserim*. Sed ita tamen exspectes potius πηλίκα γράμματα vel, ut apud Paulum semper legitur, πηλίκην ἐπιστολήν. Illa autem, quam Grotius suasit, explicatio, cum a vocabulorum permixtione proficisci debeat, (quae an in voc. πηλίκος cadat, incertum,) paullo difficilior videtur. Chrysost.: ἐνταῦθα οὐδὲν ἄλλο αἰνίττεται ἀλλ' ὅτι αὐτὸς ἔγραψε τὴν ἐπιστολὴν ἅπασαν, ὃ πολλῆς γνησιότητος σημεῖον ἦν. Ἐπὶ μὲν γὰρ τῶν ἄλλων ὑπηγόρευε μὲν αὐτός, ἔγραψε δὲ ἕτερος τλ. Singularis est Pelagii interpretatio: intelligite quod non timeam, qui literas manu mea nuper scripsi.

V. 12. ὅσοι *quotquot*, sive multi sive pauci sed omnes id genus homines, pro se quisque hoc agit, ut cet. Acuit sententiam superadditum οὗτοι cf. Rom. 8, 14. Verb. εὐπροςωπεῖν vix reperias ap. graecos scriptores, sed consimilia tamen sunt σεμνοπροςωπεῖν Aristoph. Nub. 363. et φαινοπροςωπεῖν Cic. Att. 7, 20. Hic consilio lectum videtur accommodate ad ἐν σαρκί, quod sequitur, in carne enim vulgo venustam speciem, qua se commendent, quaerunt. — ἐν σαρκ. non ea animi indole, quae a τοῦ πν. proficiscitur, sed externa specie ac figura (ut circumcisione, quae ἐν τῇ σ. perficitur v. 13. cf. Rom. 2, 28.). — ἵνα μὴ σταυρ. διωκ ne participes fiant crucis suppliciorum Christi h. e. qualia Chr. nuper subiit. Simil. παθήματα Χριστοῦ 2 Cor. 1, 5., θλίψεις τοῦ Χριστοῦ Col. 1, 24. Ita interpretati sunt Hieron. Lutherus, (Calvinus,) Semlerus, Michaelis cet. Alii, ut Erasm., Piscator et Calixtus: *propter crucem Christi* h. e. ut qui doceant, morte Chr. sublatam esse omnem legis mos. auctoritatem cf. 5, 11. Eam autem vim in dativo inesse, ut *caussam* significet (v. Schäfer ad Dion. p. 436. cf. Thuc.

1, 83. Pausan. 3, 10. 1. Dio Chrys. 38. p. 480.) nemo ignorat. Verum istud simplicius videtur.

V. 13. περιτ. *qui se circumcidendos curant;* praes. notat non, quod hoc ipso temporis momento fit, sed quod ex constanti istorum sententia iterum iterumque peragitur; adi si placet Herm. ad Soph. Electr. p. 16. Göller ad Thuc. 1. p. 116 Ex emendatione haud dubie fluxit, quod in nonnullis codd. ap. Griesb. et Matth. est: περιτετμημένοι (1 Cor. 7, 18.). οὐδὲ αὐτοὶ φυλάσσ. igitur non eo consilio, ut legi obtemperetis h. e. non pia quadam aut honesta de caussa vos circumcidendos esse contendunt; Chrys.: οὐκ ἔστιν εὐσεβείας ὑπόθεσις τὸ γινόμενον· ὡς δι' ἀνθρωπίνην φιλοτιμίαν ταῦτα πάντα γίνεται ὑπὲρ ἀρεσκείας τῶν ἀπίστων, ὅτι πιστοὶ κατακόπτονται καὶ αἱροῦνται θεῷ προςκροῦσαι, ἵνα ἀνθρώποις ἀρέσκωσι. — σαρκ. ut de corpore vestro quippe mutilato, atque adeo de sua auctoritate, qua vos ad circumcisionem suscipiendam impulerint, glorientur. — V. 14. ἐμοὶ μὴ γέν. *absit a me* LXX. Gen. 44, 7. Jos. 24, 16 al. μὴ γένοιτό μοι habes etiam ap. Nicet. Eugen. 5, 158. v. Raphel. Ad rem cf. 1 Cor. 2, 2. — ἐν τῷ σταυρ. morte Christi cruenta, non mea aliqua virtute. In cruce enim, inquit Calvinus, tota redemtio et eius partes continentur. κόσμ. ἐσταύρ. (in eadem ista cruce, de qua pependit Christus cf. Rom. 6, 2.) h. e. omne rerum terrenarum studium sublatum, ex animo evulsum meo est, cf. Phil. 3, 8. Eadem fere sententia inest in sqq. κἀγὼ κόσμῳ (nam τῷ ad optimor. libror. fidem cum Lachm. delendum) cf. Rom. 6, 5., sed solent nostri ita sententias reciproce exprimere (ut totam notionis alic. amplitudinem comprehendant) Jo. 6, 56. ἐν ἐμοὶ μένει, κἀγὼ ἐν αὐτῷ, add. 2 Thess. 1, 12. 1 Cor. 6, 13. 2 Cor. 11, 15. Falluntur haud dubie, qui κόσμ. de iudaica gente accipiunt.

V. 15 ἐν Χρ. v. 5, 6. Pro ἐστι, quod codd. A B C D E F G et versiones antiquae complures (non item Origen. et Theophyl. ut Griesbach. vult) tuentur, in aliis libris est ἰσχύει, fortasse ex 5, 6., sed Matthaeius tamen retinuit. De καιν. κτισ. v. intp. ad 2 Cor. 5, 17. cf. Ammon nov. Opusc. p. 76 sqq. Usteri Lehrbegr. p. 106. — V. 16. ὅσοι τῷ καν. τ. στοιχ. quicunque (sive Judaei sive gentiles) ad hanc normam, regulam (διδασκαλίαν Theodor., διδαχήν Oecum.) se componunt. Eam dicit, quae inest in verbis: ἐν γὰρ Χρ. κτλ. καί *atque ita* h. l. *id est, quippe,* v. Fritzsch. ad Matth. p. 52. — Ἰσρ. τοῦ θεοῦ oppon. τῷ Ἰσρ. κατὰ σάρκα Rom. 9, 6. Intell. veros Abrahami posteros i. e. Christianos τοὺς πιστεύοντας, v. ad 3, 29.

V. 17. τοῦ λοιπ. plerumque vertunt: quod reliquum est, Vulg.: *de caetero;* verum recte iam docuit Koppius, eo sensu dici τὸ λοιπόν 2 Cor. 13, 11. 1 Thess. 4, 1. a. Itaque explicandum potius c. Grotio: *posthac, in posterum* cf. Herod. 3, 15. Xen. Anab. 5, 7, 34. 6, 4, 11. Herodian. 8, 4. Lucian. Asin. c. 38. al. v. Wetsten. ad h. l. Mira est autem in his vv. ap. Origen. (c. Marc. 5. p. 141.) variatio: τῶν ἄλλων κόπους μοι μηδεὶς παρεχέσθω. — ἐγὼ γάρ etc. nam nimis iam afflictus sum. στίγματα (a στίζειν Xenoph Anab. 5, 4, 32.) pr. sunt notae, quae servis (Plaut. Casin. 2, 6, 49. Apul. Metam. 9. Herod. 7, 233. Dio Cass. 47, 10. Diog. Laert. 3, 46. Val. Max. 6, 8, 7.), hominibus facinorosis (Plato legg. 9. p. 923. Sueton. Calig. 9, 27.), militibus (Veget de re mil. 1, 8. 2, 5.), vel poenae caussa (Senec. ir. 3, 3. Petron. Sat. 108. Val. Max. 6, 8, 7.), vel ut, si fugam capessivissent (Auson. epigr. 15.), eo facilius possent deprehendi, passim etiam his, qui sacris numinis alicuius se quasi addicerent (Philo de monarch. p. 819. C. Prudent. Peristeph. 10, 1076 sqq.

psychomach. 360. Lucian. Opp. ed. Reitz III, p. 489. Tertull. adv. haer. 40. Hieron. ad Ezech. 9. p. 404. Epiph. haer. 27.) inuri solebant v. Dresig. Diss. de usu stigmatum ap. Vett. Lips. 1733. 4. Groebel in Miscell. Lips. X, p. 79 sqq. Deyling. Observv. sacr. III, p. 423 sqq. Wetsten. II, p. 237 sq. Lydius de re milit. 1, 6. al. Inde volunt nonnulli (ut Calixtus), Paulum hoc dicere: *ego totum me consecravi Christo,* ut oppositio esset circumcisionis, notae Judaeorum, et horum stigmatum, signorum hominis christ. v. Schoettgen p. 754. Sed satius est, ut iam docuit Grotius, h. l. στίγμ. Χρ. interpretari signa et notas, quae in corpore P. remanserant a periculis et calamitatibus propter caussam christ. perlatis, ut a vinculis, a carceribus, a flagellis cet v. 2 Cor. 11, 23—25. Theodor.: τοὺς μώλωπας καὶ τῶν αἰκισμῶν τὰ σημεῖα. Singularis est, sed longius repetita Oedmanni explicatio (verm. Samml. z. Naturkunde III, p. 100).

EXCURSUS I.

QUAERITUR, QUAENAM RATIO DISCIPLINAM IUDAICAM INTER ET CHRISTIANAM E MENTE PAULI AP. INTERCEDAT.

Quanquam Paulus in literis ad Judaeos (Christianos e Judaeis) datis saepenumero disputat de christiana disciplina iudaicae longe anteponenda, illiusque laudes studiose exornat atque illustrat: nondum tamen a viris doctis accurate et subtiliter explicatum esse video, quid veri pretii statuat mosaicae disciplinae, quidque illud sibi velit, quod hanc (γράμμα) σάρκα, christianam πνεῦμα passim appellet, legisque in procuranda felicitate aeterna vim aliquam fuisse neget. Itaque, cum omnis fere ad Galatas epistola in eodem argumento versetur, totum hunc locum, late patentem, persequi placuit.

1. Summa autem doctrinae paulinae haec est: Judaei inde a Mosis tempore (Gal. 3, 17.) legi divinitus latae, τῷ νόμῳ, obstricti (συγκεκλεισμένοι Gal. 3, 23.) tenebantur, atque eius rei signum fuit circumcisio (περιτομή Gal. 5, 3. cf. Rom. 4, 11.). Huic legi si penitus satisfecissent, δίκαιοι existerent (nacti τὴν δικαιοσύνην ἐκ τοῦ νόμου Rom. 10, 5. Gal. 3, 12. Phil. 3, 9.) iudice Deo

vitamque aeternam tanquam praemium suo iure acciperent (Rom. 4, 4. cf. 11, 5. 6.). At vero nemo omnia, quae lex postulabat, praestitit, imo tantum aberat, ut legi obtemperarent (νόμον ποιεῖν, νόμῳ δουλεύειν), ut, ab ipsa adeo lege irritamenta nacti (Rom. 7, 8. 11.), omnis generis flagitiis omnique turpitudini studerent (Rom. 2, 17 sqq.) adeoque νεκροὶ ἐν τοῖς παραπτώμασι (Col. 2, 13.) καὶ ταῖς ἁμαρτίαις (Eph. 2, 1. 5.) essent. Quare omni apud Deum laude carebant (ὑστεροῦντες τῆς δόξης τοῦ θεοῦ Rom. 3, 23.) debebantque poenas divinas metuere (Rom. 2, 12. Col. 2, 14., ὑπὸ κατάραν ὄντες Gal. 3, 10. 22.); nam legis haec est natura et indoles, ut poenas minetur (Rom. 4, 15. 2 Cor. 3, 8.); poenae autem illae cernebantur in morte perpetua (Rom. 5, 16. 18. 21. 7, 13. 8, 6.), quippe quae primo Adami peccato orta esset (Rom. 5, 12 sqq.). Sed ex hac tamen atque tanta miseria exemit eos Dei benignitas: is enim, mera erga homines gratia motus, misit in has terras Christum, qui, humana indutus natura legique et ipse subiectus (Rom. 8, 3. Gal. 4, 4.), sed peccati expers (2 Cor. 5, 21.), hominum loco mortem cruentam oppeteret [50]) eâque, quemadmodum Deum nobis propitium (Rom. 5, 10. 2 Cor. 5, 18. Eph. 2, 16. Col. 1, 20.) nosque ipsos a poenis liberos (Gal. 1, 4. Ephes. 1, 7 Col. 1, 14. 2, 13.) redderet — utrumque inest in vocc. δικαιοσύνης, δικαιώσεως, δικαιοῦσθαι —, ita disciplinam etiam mosaicam (τὸν νόμον) tolleret (Gal 3, 13. 4, 5. Rom. 10, 4.). Unde patet a) neminem posse ἐκ τοῦ νόμου

50) Ita cum theologis fere omnibus statuendum existimo de morte Christi τῆς δικαιοσύνης caussa, nec movere me potuerunt aliorum nuper propositae sive rationes, seu, ut rectius dicam, opiniones, ut meam ea de re sententiam mutarem. Sed operae pretium est, de nova hac dissensione alio loco uberius disserere.

δικαιοῦσθαι (Gal. 2, 16. 3, 11. 5, 4.), sed omnem δικαιοσύνην a sola Dei benignitate (δικαιοῦσθαι δωρεὰν τῇ θεοῦ χάριτι Rom. 4, 24., κατὰ χάριν Rom. 4, 16., χάριτι σεσωσμένοι Eph. 2, 5. 8 add. Rom. 9, 12 sqq.) propter Christi mortem contingere hominibus, qui fidem habeant (δικαιοσύνη ἀποκαλύπτεται ἐκ πίστεως Rom. 1, 17. Phil. 3, 9., πίστει, ἐκ πίστεως δικαιοῦται ἄνθρ. Rom. 3, 28. Gal. 2, 16., ἐὰν πιστεύσῃς, σωθήσῃ Rom 10, 9.); — b) νόμου atque adeo περιτομῆς non esse amplius vim et auctoritatem (Rom. 7, 4. 1 Cor. 10, 25. Gal. 2, 19. 4, 10 sqq Col. 2, 16. 21 sqq. Gal. 5, 2. 6, 15.); — c) paganos etiam ad aeternam felicitatem posse adspirare: nam Deus omnibus hominibus bene cupit (Rom. 3, 29.), Christus omnium caussa mortuus est (Eph. 2, 12 sq. 3, 6.), pagani, qui fidem habent Christo, similes sunt Abrahamo τῷ πιστῷ atque adeo eius veri filii (Rom. 4, 11. Gal 3, 10.), νόμος denique, qui fuit τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ Judaeos inter et paganos, cecidit (Ephes. 2, 14.). Felicitas autem, quae manet homines Deo reconciliatos et τῷ Χριστῷ πιστεύοντας, continetur τῇ ζωῇ s. ζωῇ αἰωνίῳ (Rom. 5, 17. 8, 6. 30. Gal. 6, 8. Col. 3, 3. 1 Thess. 5, 10. al) vocaturque passim ἡ κληρονομία (Gal 3, 18. Ephes. 1, 14. Col. 3, 24. cf. Gal. 3, 29. 4, 7.) et βασιλεία θεοῦ (Gal. 5, 21.) (cf. tamen de hac voce Koppius in Exc. I ad 1. ep. ad Thess. p. 92 sqq.).

2. Disciplinae iudaicae, quanquam divinitus constitutae (Rom. 7, 12.) indolem passim ita declarat P., ut illam στοιχεῖα τοῦ κόσμου (Gal. 3, 4. 9.), γράμμα (2 Cor. 3, 6.), παλαιότητα γράμματος (Rom. 7, 6.), δουλείαν denique (Gal. 5, 1.) appellet, christianae contra naturam vocabulis πνεύματος (2 Cor. 3, 6.), καινότητος πνεύματος (Rom. 7, 6.), ἐλευθερίας (Gal. 5, 1. 13) designat, unde fit, ut Judaeos νηπίους (Gal. 4, 3.), δουλεύοντας (Gal. 4, 9. cf.

v. 24 sqq.), δεδουλωμένους (Gal. 4, 3), Christianos υἱοὺς τοῦ θεοῦ (Gal. 4, 6.), ἐλευθέρους (cf. Gal. 4, 26) vocet. His autem verbis omnibus mosaicam disciplinam tanquam *rudem* et *imperfectam*, christianam tanquam *nobiliorem* et magis *perfectam* significari patet: sed quaeritur tamen, qua in re inesse putaverit P. religionis christianae nobilitatem, iudaicae humilitatem, et quid sit, quod γράμματος potissimum et πνεύματος vocabulis ea in caussa uteretur [51]). Scilicet: si quid video, 1) *servitutem* appellavit rem iudaicam, quod lex Mosaica (ut omnes leges civiles) [52]) ita erat comparata, ut singulis duntaxat ἐντολαῖς, adhibito poenarum terrore, Judaeos ad honesti studium cogeret magis quam (voluntate funditus emendata) ad virtutem fingeret; servorum enim est, ad officia peragenda vi adduci, ab iisque, quae non placeant hero, metu poenarum deterreri [53]); contra homines christiani honestum sequuntur

---

51) Ieiuna est Koppii disputatio ad 3, 3. 26.

52) Quae P. de lege mos. disputat, ea ad omnem legem, qua honestatis studium regere quispiam velit, natura sua pertinent; quid quod ipsa lex naturalis, animis inscripta (Rom. 2, 15.), non prorsus aliena est ab hac disputatione; nam 1) ne haec quidem potest salutem aeternam hominibus impertire, propterea quod nemo unquam ei toti satisfecit (n. 1.); 2) obsequium huic legi praestitum non semper oritur e sanctissimi numinis amore ac reverentia, sed saepenumero e poenarum divinarum metu, ita ut hominis a sensu christiano alieni virtus vix πνεύματι aut ἐλευθερίᾳ tribui possit (n. 2.). Itaque bene de Wettius l. c. p. 295. „ob P. blos gegen das mos. Gesetz als solches spreche? offenbar gegen jedes Gesetz und gegen alle opera operata im gröbern oder feinern Sinne.“ Sed v. inpr. Knapp. Progr. in loc. ad Rom. 7, 21. Hal. 1802. 4. (rep. Scriptt. II, 381 sqq.) adde Semler. in Baumgarten Ausleg. p. 906 sqq., Cramer. (Lossius) bibl. Theol. N. T. p. 129. et Mynster kleine theol. Schrift. p. 79 sqq.

53) Theodoret. ad 3, 16.: ὁ γὰρ νόμος τὴν ἀρὰν τοῖς ὑποκειμένοις ἐπήγαγε τῇ ἀπειλῇ δεδιττόμενος καὶ πρὸς τὸ δέον

sua sponte, suopte ingenio, amore Dei aliorumque hominum ducti (cf. inpr. Rom. 7, 6.); ἐλεύθεροι igitur et sunt et recte vocantur. Atque haec eorum conditio υἱοθεσίας vocabulo significatur Rom. 8, 15. Gal. 4, 5. — 2) γράμμα autem vocat rem iudaicam, quod lege literis consignata continebatur, ita ut Judaeorum animi ad honestatis studium *extrinsecus* impellerentur: contra christianae disciplinae proprium est, interna quadam h. e. in animis ipsis excitata vi ad virtutem fingere Atque hinc est etiam, quod passim voc. σαρκός ad rem iud. significandam adhibet (Gal. 3, 3. cf. 6, 12 Phil. 3, 3.). Scil. Judaeorum fere omnia studia et ornamenta cernebantur in rebus, quae vel corpori inerant (ut circumcisio, ut genus Abr.) vel corpore peragebantur (ut sacrificia, ut abstinentia ciborum quorundam); Christus autem venit, ut homines ad Deum ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ colendum institueret.

3. Legem non amplius habere vim et auctoritatem, variis modis demonstrat Apostolus. *Primum* ac simpliciter e literis sacris docet, neminem mortalium ἐν νόμῳ δικαιοῦσθαι παρὰ τῷ θεῷ, ut Gal. 3, 11. cf. Hab. 2, 4.; *deinde* Abrahamum ipsum propter πίστιν, non propter ἔργα, Deo probatum (Rom. 4, 1 sqq. Gal. 3, 6 sqq.) eique ἐπαγγελίαν diu ante legis promulgationem datam esse (Rom. 4, 10 sqq. Gal. 3, 16 sqq.) ostendit; *tum* hoc utitur argumento: εἰ διὰ νόμου δικαιοσύνη, ἄρα Χριστὸς δωρεὰν ἀπέθανε (Gal. 2, 21.); *denique* ad allegorias etiam delabitur Gal. 4, 21 sqq. v. supra p 108 sqq. *Postremo* addit hoc: dona πνευματικά non per νόμον, sed per

ποδηγῆσαι τοὺς ὑποκειμένους βουλόμενος. Cf. Diog. Laert. 5, 20. ἐρωτηθεὶς (Aristotel.) τί ποτ' αὐτῷ περιγέγονεν ἐκ φιλοσοφίας; ἔφη τὸ ἀνεπιτάκτως ποιεῖν ἅ τινες διὰ τὸν ἀπὸ τῶν νόμων φόβον ποιοῦσι.

τὴν πίστιν hominibus contingunt; itaque ille usu caret et efficacia, Gal. 2, 3—5. Ex his omnibus efficit, a legis mosaicae observatione abstinendum esse Christianis, sive e gente iudaica oriundis, sive e paganis; id tamen rogat, ut hoc fiat amanter h. e. ut rudes homines et imbecilles non offendantur, 1 Cor. 8, 1 sqq. Rom. 14, 13 sqq. — Ceterum, quod disciplina iudaica per Christum sublata est, hoc, quemadmodum ipsi huic disciplinae nihil derogat, ita non potest gentis israeliticae pristinum splendorem obscurare; manet ipsi suus honos isque triplex: nam *primum* datae sunt *huic* genti (h. e Abrahamo, eius conditori) promissiones divinae (Rom. 3, 2.); *deinde* ad eam pertinet lex divinitus scripta (Rom. 9, 4.); *denique* prodiit inde κατὰ σάρκα Messias (Rom. 9, 5.).

4. Homines christiani, qui Christo fidem habent et πνεύματι reguntur, non sunt ab omnibus peccatis alieni, immo pravae libidinis vi, quae in corpore humano inest, ad ea, quae voluntati divinae contraria sunt, interdum abripiuntur (Rom. 7, 14 sqq. cf. Rabbinor. loca ap. Wetsten. II, p. 233.) [54]): verum his, quae ab imbecillitate (ἀπὸ τῆς σαρκός) proficiscuntur, peccatis veniam dat Deus, utpote nunc hominibus per Christum propitius factus; patet tamen inde, 1) quam recte dicatur δικαιοσύνη contingere a sola Dei gratia propter Christi mortem; nam nemo potest Dei voluntati perfecte obsequi adeoque felicitatem aeternam tanquam virtutis praemium *iure suo* postulare; semper confugiendum ad summi numinis clementiam est; deinde 2) intelligitur, πίστιν, quam a suis exigit P., non debere esse νεκράν, sed cum honesti studio coniunctam (Rom. 6, 1 sqq. Gal. 5, 13 sq. Eph. 5, 9.); inde

---

54) Ut nunc plurimi statuunt, quibus credere quaevis, quam honesta sectari, facilius videtur.

est, quod saepenumero hortatur Christianos, ut πνεύματος auxilio usi καινὸν ἄνθρωπον induant (Ephes. 4, 23. 24. 2 Cor. 5, 17. Col. 3, 10.), ut peccatis renuncient (ἀποθανεῖν τῇ ἁμαρτίᾳ Rom. 6, 2. cf. Col. 3, 5.), ut sanctitati studeant (ἐπιτελεῖν ἁγιωσύνην 2 Cor 7, 1.), ut ἀξίως τῆς κλήσεως vivant (Eph. 4, 1. cf. Col. 1, 10.), ut omne virtutis genus sectentur (1 Cor. 6, 10. Ephes. 4, 22 sqq. Phil. 2, 1 sqq Col. 3, 12 1 Thess. 4, 1 sqq. 2 Thess. 3, 6 sq.). Quapropter frustra fuerunt, si qui statuerunt, meram πίστιν a Christianis postulari, virtutique non magnam esse vim: totus enim est P. in honestatis studio commendando; nec illi sunt audiendi, qui Jacobum Paulo adversari dicunt, ut docte et subtiliter, quemadmodum solet, demonstravit vir in hoc literarum genere facile princeps Knappius (Scriptt. II, p. 411 sqq.).

5. Vidimus ex his, quae supra disputata sunt, Paulum de lege mosaica non admodum honorifice statuisse (cf. §. 3). In eam vero sententiam quomodo delapsus fuerit, nuperrime Voigtlaenderus (v. supra p. 64.) praeeunte Schulthessio (Analecten v. Keil u. Tzschirner II, p. 134 sqq.) inde explicare voluit, quod universam disciplinam mosaicam a Paulo ad angelos tanquam *auctores* referri appareret [55]) Locum primarium deprehendisse sibi videtur Hebr. 2, 5. [56]): ibi enim quae leguntur:

---

55) „Wer mit den paulin. Briefen eine mehr als oberflächliche Bekanntschaft gemacht hat, der wird leicht einsehen, nicht eine Abhandlung, sondern ein Buch würde man schreiben müssen, wenn man alle die Stellen exegetisch beleuchten wollte, welche nur durch die Voraussetzung ganz verständlich werden, Paulus habe die Engel als Urheber (und Beschützer) des Mosaismus, Jesum aber als den Sieger (Besieger) derselben betrachtet."

56) Nam quod v. 2. contendit, δι' ἀγγέλων vertendum esse *ab angelis*, propter oppositionem, quae insit in διὰ κυρίου v. 3., id

οὐ γὰρ ἀγγέλοις ὑπέταξε (ὁ Θεὸς) τὴν οἰκουμένην τὴν μέλλουσαν, περὶ ἧς λαλοῦμεν, ita explicat V.: „der Verf. des Br. an die Hebräer dachte sich deswegen die Engel als Vorsteher der vormessianischen Welt, weil er sie in demselben Sinne als Urheber der mosaischen Constitution betrachtete, in welchem der Messias Gesetzgeber des messianischen Weltalls geworden ist. Also (?) das mosaische Gesetz ist nach der Meinung unsers Verf. von den Engeln gegeben worden." Si quaeris, cur hanc potissimum interpretationem ingressus fuerit vir doctus (nam e verbis graecis eam sponte fluere, recte dubitabis) ipse p. 141. respondet: „Hätte er sich Gott selbst als den Geber der mosaischen Constitution gedacht, wie konnte er dann die vom Messias gegebene Lehre (?) für so viel verpönter halten und behaupten, wenn schon Uebertretung des mosaischen Gesetzes Strafe nach sich gezogen habe (v. 2.), so werde Vernachlässigung der heilbringenden Lehre des Messias noch viel weniger ungeahndet hingehn?" At enim vero sic existimare potuit Apostolus, si legem mos., licet a Deo ipso datam, tamen disciplina christiana paullo imperfectiorem esse (ut quae ad tempus tantummodo lata esset et τὸν νόμον τῆς πίστεως praeparare deberet) iudicaret Hebr. 7, 18. 19. 22. 9, 10. Imperfectiorem autem disciplinam antecedere messianae volebat Deus, quod homines nondum caperent perfectiorem (Gal. 3, 25.) [57]), vel, ut P. dicit, τῶν παραβάσεων χάριν. Itaque legis

---

levissimum iudicabis. Neque enim διὰ κυρίου h. l. significat *a domino* (sed: *ministerio domini*), et διά in locis, ubi ambiguitas vitanda sit, de *auctore* dici posse (pro ὑπό), doceri debebat non ex Schleusneri lexico, sed allatis idoneis exemplis. Cf. Gramm. N. T. p. 339.

57) Theodor. ad 3, 21.: οὕτω τὸ γάλα τῆς θηλῆς τοῖς μὲν τελείοις ἐστὶν ἀηδές, τοῖς βρέφεσιν ἐπιτήδειον.

mosaicae natura inferior ac vilior non profecta fuit ab auctoris, qui dedit, sed ab hominum, qui acceperunt, imbecillitate; nec est, quod neges, eam a summo numine ipso originem duxisse. Omnino Paulus, ubi de lege mos. disputat, naturam eius, non originem respicit. Sed video, Voigtländerum ex aliis etiam locis opinionis suae patrocinium petiisse: etenim 1) in loco nobili Act. 7, 53. verba εἰς διαταγὰς ἀγγέλων negat explicari posse nisi de angelis tanquam νόμου *auctoribus*, propterea, quod διαταγή et διατάσσειν semper dicatur de iis, qui leges ferant et constituant. At solenne est Hebraeis, quae in Deum cadunt, ea simpliciter tribuere angelis, eius ministris, quemadmodum ipse V. demonstrat infra p. 148. Deinde quidni διατάσσειν de iis etiam dici possit, qui alius cuiusdam nomine et auctoritate leges ferunt? Certe nihil inest in hac voce, quod ad eos tantummodo spectet, qui suapte auctoritate leges scribunt. — 2) Col. 2, 14. verbis ἀρχ. καὶ ἐξουσ. significari contendit genios coelestes (eosdem, qui Ephes. 3, 10. ἀρχαὶ καὶ ἐξουσίαι ἐν τοῖς ἐπουρανίοις appellentur), et de sensu loci hoc addit: „die Engel konnten eben darum von Jesu besiegt heissen, weil ihre Constitution, die mosaische nämlich, durch seinen Kreuzestod vernichtet worden war.“ At nemo non intelligit, temere istum locum Col. 2, 14. de angelis explicari: nam alia etiam potest iniri interpretatio, quae cur aliena sit, idoneis argumentis demonstrare debebat V., v. Baumgarten. et Heinrichs. ad h. l. Scilicet, quod θρησκείαν τῶν ἀγγέλων v. 18. de religione angelorum, h. e. de humili religione iudaica dici putat, id nemini, qui aliquem habeat interpretandi usum, facile probabit. De vero horum verborum sensu v. Heinrichs. ad h. l. — 3) Provocat ad 1 Tim. 3, 16. ubi ὤφθη ἀγγέλοις vertit: „er hat sich den Engeln glorreich dargestellt.“

Sed *primum*, si P. hoc dicere voluisset, puto, eum vocabulo magis perspicuo usurum fuisse; nam ὤφθη ἀγγ. non est nisi: *conspiciendum se angelis praebuit:* itaque de *victoria* potissimum haec intelligi debere, temere sumitur; deinde in promptu est alia explicatio et loquendi usui et historiae sacrae egregie accommodata, v. Heumann. ad h. l. — 4) In ipso loco nobilissimo Gal. 3, 19. 20. inesse arbitratur V., quod suam commendet sententiam. Scilicet, legis mosaicae auctorem h. l. non ipsum Deum sed angelos dici, tribus argumentis, si Diis placet, efficit: a) quod solus Moses appelletur μεσίτης; iam vero, si lex a Deo data est, ἄγγελοι etiam fuerunt μεσίται! Egregiam vero disputationem! Constat, angelos ab Hebraeis, ubi pro Jova ponantur, non tanquam personas arbitrio suo gaudentes, sed tanquam eius quasi instrumenta spectari, ita ut a Jova non magis distingui possint, quam manus hominum ab hominibus ipsis. Adde, quod haec a Paulo disputata sunt iudaicis opinionibus accommodate; Judaei vero Mosen μεσίτην praecipuo sensu vocarunt, v. ad 3, 20.; b) alterum argumentum desumsit V. e v. 15. Ita enim: „hier heisst es, inquit, schon eines Menschen Versprechen oder Bund macht niemand so leicht ungültig u. s. w. Muss ich nun nicht nothwendig (?) weiter schliessen: viel weniger wird Gottes Bund oder Versprechen irgend jemand ungültig machen wollen? Wird also nicht offenbar der, welcher einen Bund macht, ein Versprechen giebt, von einem andern, der nicht so leicht dieses Versprechen ungültig macht oder demselben etwas hinzufügt, unterschieden? Musste sich also nicht der Apostel den, der die Verheissung gegeben hatte, als verschieden von denen denken, durch die um der Sünde willen das Gesetz war hinzugefügt worden?“ etc. Sed hoc est argutari, si quid aliud! v. 15. non habet nisi hunc

sensum: hominis διαθήκη semel sancita non facile irrita redditur, sed sua ipsi manet vis et auctoritas. Voc. οὐδείς non premendum est, nec necessario habere debet, quod sibi respondeat, in Paulo praesertim, qui a tam putido concinnitatis studio alienus est. Denique c) addit V., Paulum, cum doceat 1 Tim. 2, 5. ἕνα esse θεόν, ἕνα καὶ μεσίτην θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, ἄνθρωπον Χριστὸν Ἰησοῦν, non potuisse h. l. Mosen μεσίτην vocare! Hoc quam ridiculum sit, quisque videt; alia enim hoc, alia illo in loco est μεσίτου significatio! Sed egregie taedet huius disputationis; nec vir doctus, arbitror, in eiusmodi commenta deductus fuisset, si, qualem Judaei (N. etiam T. scriptores) angelorum notionem sibi informaverint, reputasset.

EXCURSUS II.

DE ITINERE PAULI HIEROSOLYMITANO, CUIUS MENTIO FIT CAP. 2. v. 1.

Cum Paulus Apost. inde ab eo tempore, quo ad sacra christiana transierat, usque ad captivitatis primordia, tria omnino ad urbem Hierosolymorum fecisse narretur itinera (Act. 9, 26. cf. Gal. 1, 18.; Act. 11, 27. 30.; Act. 15.), eo in loco, quem significavimus, duplex nascitur quaestio, una: quodnam horum itinerum verbis πάλιν ἀνέβην declaretur, altera: quid sibi velint illa διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν i e. unde haec annorum 14 computatio facta sit. Varie autem hac de re statutum est a viris

doctis: *alii* enim iique longe plurimi dici voluerunt *tertium* Apostoli iter (Act. 15.)[58]; *aliis* visum est de *secundo* (Act. 11.)[59]) agi[60]); utrique autem istorum 14 annorum

---

58) Ita post Irenaeum (adv. haer. III, 13.), Chrysostomum, Theodoretum, Hieronym., Pelag., Augustinum J. Cocceius in Oper. theol. Tom. 1. p. 371. J. F. Gruner (Miscellanea sacra Fasc. I. Jen. 1750. 4. p. 4 sqq.). J. Pearson Annall. Paul. p. 18. (ed. Hal.). J. J. Hottingerus (in Chronotaxi histor. P. quae leg. in ei. dissertatt. bibl. chronol. Traj. ad Rh. 723. 8. p. 326 sq.). J. M. Lorenz (Annales Paulini P. II. Sect. I. Argentor. 1769. 4. p. 66.). Semlerus (Proleg. in paraphr. ep. ad Gal. p. 66 sqq. et Diss. de tempore, quo scripta fuerit P. ep. ad Gal. Hal. 1768. p. 19 sq.). Moldenhauer. (Introd. in librr. can. V. et N. T. p. 382 sqq.). Koppius (Ep. ad Gal. p. 21.). Strothius (in Repertor. f. bibl. Lit. IV. p. 43 sqq.). Henkius (Anm. z. Paley Hor. Paulin. p. 421.). Vogelius (in Gablers Journal f. auserl. theol. Lit. I, p. 249 sqq.). Haselaar (de nonnullis Act. Apost. et Ep. Paul. ad hist. Pauli pertinentib. locis 1806.). Borger (p. 37. 115.). Anon. (in neuen theol. Annal. 1817. p. 347 sqq.). Hug (Einleit. II, p. 274 sqq.). Schmidt (in Keils Analect. III, p. 130 sqq.). Ammon (krit. Journ. I, p. 234.). Emmerling (Comment. in 2 ep. ad Cor. p. XXV.). In eandem hanc sententiam animum acclinat etiam Flattus (Vorles. p. 45.).

59) In hac sententia fuerunt post Calvinum et J. F. Maiorem in Annotatt. ad Act. ap. (Jen. 647. 8.) A. Bloch (Chronotaxis scriptor. Paul. p. 67.). Keilius (Diss. de definiendo tempore itin. P. Hieros. Gal. 2, 1. Lips. 1798. 4. [rep. in Potti Sylloge Diss. theol. III, p. 68 sq. et in Keilii Opusc. ed. Goldhorn. p. 160 sqq.] in Gableri Journal f. auserl. theol. Liter. III, p. 5 sqq. denique in Analect. f. d. St. d. exeg. u. system. Theol. III, p. 148 sqq.). Gablerus (n. theol. Journ. XIII, p. 210 sqq.). Eichhornius (Einl. ins N. T. III, p. 31.). Süskindius (in Bengels Archiv I, p. 157 sqq. quem fere sequitur Progr. Tubing. Pentecost. a. 1824.). Künoelius (Prolegg. ad Act. Apost. p. XXV.). Paulus (Heidelb. Jahrb. 1827. p. 636 sqq.).

60) De aliis aliorum opinionibus, quae omni probabilitate carent (Epiphan. haer. 28. Paley Hor. Paull. p. 167 sq. Hoffmann ad Pritii Introd. in N. T. p. 250 sqq. Whiston in tabb.

initium vel a Pauli ad disciplinam christianam transitu [61]), vel a primo itinere Hierosol. (Act. 9, 26. Gal. 1, 18.) [62]) vel, quod nuper suasit Paulus, ab ipso rerum christianarum primordio [63]), ducendum existimant; quanquam fuerunt etiam, qui, ut quaestionis difficultatem praeciderent magis quam tollerent, pro δεκατεσσ., praeeunte chronico paschali [64]), τεσσάρων ἐτ. rescribi iuberent.

Et illi quidem, qui ad secundum P. iter verba, de quibus quaeritur, referunt, tribus potissimum argumentis, quibus sententiam suam commendarent, usi esse deprehenduntur. *Primum* enim dicunt, Apostolum, cum h. l. demonstrare vellet, se neque a ceteris apostolis ad res christianas institutum neque eorum auctoritate confirmatum esse, *omnia* debuisse itinera sua hieros. deinceps enarrare, *secundum* vero praetermittere non potuisse quod

---

chronoll.) v. Gablerum neues theol. Journ. I. c. p. 216. Hessii sententiam (Gesch. d. Apost. I. 529 sqq. II. 311. ed. 4.) a verisimilitudine alienam tangit magis quam examinat Flattus Vorles. p. 46 sq.

61) Sic statuerunt Wetsten. ad 2, 1. Cappellus (histor. apostol. p. 91.). Gablerus (l. c. p. 218 sqq.). Vogelius (l. c. p. 351.). Keilius (in Potti Sylloge III, p. 68 sqq. et in Gableri Journal f. auserl. theol. Lit. III, p. 5 sqq.). Eichhornius (l. c. p. 31.). Süskindius (l. c. p. 174 sq.). Schmidtius (l. c. p. 141.).

62) v. Bengel. (Ordo tempor. p. 276.). Stroth (in Repertor. f. bibl. u. morgenl. Liter. IV, p. 41.). Morus (Acroas. in ep. ad Gal. p. 18.). Keilius (Diss. de defin. temp. etc. p. XIII.). Koppius (l. c.) et Anon. (in neuen theol. Annal. l. c. p. 357.).

63) v. quae contra monui in n. krit. Journ. VII. p. 292.

64) Chron. pasch. ed. Ven. p. 186. Paris. 233., de quo loco v. Bertholdtum (Einleit. V, p. 2737.) disputantem contra Schmidt. l. c. p. 138 sq.

1, 18. de *primo* exposuisset, adeoque proximum esset, ut 2, 1. de secundo diceret; eo autem pertinere voc. πάλιν, quod a δεύτερον non differat [65]. *Deinde* probabile esse negant, Petrum post ea, quae in synodo hieros. *ipso auctore* decreta essent (Act. 15, 23—29.), a Christianis ἐθνικοῖς se denuo seiunxisse, Paulum vero in tota epistola non provocasse ad illius concilii auctoritatem (2, 14 sqq) [66]. *Denique* addunt [67], Paulum seriore tempore, h. e. peracto tertio itinere hieros., lenius ac facilius, quam his in literis, de circumcisionis vanitate iudicasse.

Atque haec non carent aliqua veritatis specie; dubitaverim tamen iis aliquid tribuere, nisi, istam virorum doctorum sententiam ad temporum et annorum rationes bene accommodari posse, demonstratum fuerit. Ea autem in re magnam difficultatem inesse, vix erit, qui non intelligat. Sive enim δεκατεσσ. ἔτη, quae numerantur l. c., a primo Pauli itinere, sive ab ipsius baptismo computanda existimas, non poteris alterutram sententiam cum iis conciliare, quae de rebus a Paulo gestis ex veterum monumentis didicimus. Sed hoc quale sit, dicendum est accuratius, cum omnis annos Pauli computandi ratio aliquo interpretum dissidio laboret. Scilicet longe plurimi a fame illa, quae Claudio regnante orta esse narratur (Act. 11, 28. 30.), proficiscentes secundum P. iter in eundem fere hunc annum (quartum alii [68]), alii quintum aut

---

65) v. inpr. Süskind. l. c. p. 159 sq.

66) v. Süskind. p. 165 sqq. Keil. in Gableri Journ. f. auserl. etc. l. c. p. 23. Analect. III. l. c.

67) Künoel. l. c. p. XXV. Vogel. l. c. p. 232.

68) Michaelis ad Act. 11, 28. Vogel. l. c. p. 231. Schmidt. l. c. p. 129. Süskind. l. c. p. 170. add. Lorenz. l. c. p. 66.

sextum Claudii [69]) fuisse putant) incidisse sumunt. Iam si (quod summum est) in sextum Claudii annum, h. e. (ut Süskindii fert opinio) a. 49. Chr. incidit, efficitur, Paulum a. 35., Tiber. $\frac{18}{19}$. (eo, quo Jesus supplicium passus est e Süskindii opinione) vel, quod absonum est, primum iter Hieros. suscepisse, vel certe ad sacra christ. transiisse: id quod non magis ferri posse videtur; nam quis tandem sibi persuadebit, ea omnia, quae Act 1—8. narrantur, intra breve unius anni spatium gesta esse? [70]) — Eadem fere difficultate laborat Gableri [71]) computatio, qui Paulum a. 45. *iterum* Hierosolyma adiisse, a. igitur 31. (demtis 14 annis) h. e. 784. urb. c. (v. infra not. 74.) sacra christiana amplexum esse statuit.

Quae cum ita sint, in eorum sententiam discedimus, qui de *tertio* P. itinere agi rationemque a primo eius itinere Hierosolyma suscepto [72]) ducendam esse arbitrantur. Iam si primum illud iter in an. 38. incidisse sumis (quod etiam propter ea, quae de bello Arabico 2 Cor. 11, 32 sq. narrantur, verisimile est) [73]) efficitur, Paulum a. 52. tertium Hierosolyma sese contulisse, a. autem 35. [74])

---

69) v. neue theol. Annal. l. c. p. 348 sqq. Eadem difficultas iam torserat Gablerum (neues theol. Journ. l. c. p. 221.).

70) v. neue theol. Annal. l. c. p. 356 sqq. cf. tamen Ammon. l. c. p. 233.

71) n. theol. Journ. XIII. p. 221.

72) Assentientem habeo virum doctum in neuen theol. Annal. l. c. p. 357.

73) v. Hug Einleit. II, p. 276 sqq. Nemini, opinor, Süskindius (l. c. p. 311 sqq.) persuadebit, Aretam ante a. Tiberii 16. Damascum occupasse vel obsidione cinxisse. Omni autem veritatis specie carent, quae idem vir doct. p. 315. disputavit.

74) Annus 35. aen. vulg. convenit cum anno Rom. 788. Christus autem supplicium passus esse videtur quattuor fere annis post

ad sacra transiisse christiana: quod tantum abest, ut temporum rationibus [75]) adversetur, ut iis, quae de Judaeis Roma expulsis (Act. 18, 2.) probabiliter disputata sunt a Vogelio [76]), confirmari videatur.

Atque haec si recte disputata sunt, sponte concidunt illa, quae, ut supra vidimus, e loco nostro in suae sententiae patrocinium repetunt hi, quibus de secundo Pauli itinere agi placet. Nam quod *primum* argumentum attinet, quidni potuerit Paulus secundum iter h. l. praetermittere, si paucos tantummodo dies Hierosolymis commoraretur et cum diaconis magis (quibus tradendae erant pecuniae), quam Apostolis ageret? [77]) Ceterum quod

---

14. annum Tiberii, h. e. a. Rom. 784/5. Ita Christi caedem inter et Pauli conversionem intermedii fuerint tres vel (ad summum) quattuor anni.

75) Mecum facit Vogelius, collega venerabilis, l. c. p. 251. Non multum dissidet Hugius, qui a. 36. Paulum Christo nomen dedisse putat; Schmidtius adeo in an. 41. et de Wettius (Einl. ins N. T. p. 214.) in an. 38. incidisse contendit istam Pauli conversionem.

76) l. c. p. 232 sqq. Ei adstipulati sunt Hugius, Künoelius all. Adde Pearsoni Annall. p. 21 sq. ed. Hal.

77) Recte vir doctus in n. theol. Annal. p. 349.: „Wäre seine zweite Reise etwa für diesen Gesichtspunkt ganz unbedeutend, so kurz, dass sie kaum ein Aufenthalt in Jerus., wo die Apost. befindlich waren, zu nennen gewesen etc.“ Adde, quae p. 354. et ap. Hugium II, p. 275. leguntur. Aliam coniecturam proposuit Ammon. l. c. p. 235.: „Die ganze zweite Reise Pauli Act. 11, 30. 12, 25. beruht entweder auf einem Missverstande des Lucas, der auch sonst Act. 9, 22—30. mit Gal. 1, 15—21. in vielfachem Widerspruche steht; oder Paulus reiste zwar mit Barnabas aus Antiochien, wurde aber verhindert Jerusalem zu erreichen, blieb zu Tyrus oder Caesarea, bis ihn Barnabas und Marcus abholten, und bringt daher diese Reise, weil sie von ihm *persönlich* nicht *ganz* vollendet worden war, wie billig, nicht in Anschlag.“ Contra

Süskindius de Paulo scribit: „*eine lange Reihe von Jahren* nach seinem ersten Besuche sey er gar nicht mehr zu den Aposteln nach Jerusalem gekommen," et: „*erst* nach 14 Jahren" etc., id in graecis proprie non inesse, facile apparet. Dicat vero aliquis: debebat certe Apostolus, ne apud Galatas aliquam dubitationem relinqueret, paucis significare, aliud iter post primum v. 19. susceptum hic non in censum venire. Verumtamen quam alienus fuerit Ap. ab hoc suspicionis metu, inde patet, quod v. 18 19. in solis his: ἱστορ Πέτρ. etc. et οὐκ εἶδον εἰ μὴ Ἰάκωβον τ. ἀδ. κυρ. acquievit, quanquam, an non eo ipso tempore a Petro et Jacobo privatim *institutus* aut *castigatus* esset, quaeri recte poterat ab iis potissimum, qui, quae Act. 9, 26 sqq. narrantur, comperissent. Omnia igitur ea in caussa redibant ad ipsius Apostoli fidem, quam iureiurando interposito confirmat v. 20. [78]). Sed omnino, etiamsi P. de *secundo* suo itinere addidisset, ne hoc quidem omnes dubitationes eximere potuit talibus hominibus, quales plerique sibi fingunt: nam in ipsa Syria (v. 21.) facile poterat aliquem Apostolorum convenire ab eoque institui [79]). Vides igitur, quam multa debuerit P. afferre, si in mente habuisset, omnem vel levissimam suspicionem a se amovere. — Sed pergimus ad *secundum* argumentum. Dubitant, Petrum ab ethnicorum usu abs-

---

Schmidtius (l. c. p. 133.) primam, quae in Actis narratur, profectionem nihili esse contendit.

78) Scilicet simplici narratione *docere* Galatas vult Ap., se ab aliorum apostolorum institutione alienum fuisse; non hoc agit, ut hominibus suspicione plenis omnes vel minimos eximat scrupulos. Der Apostel sucht Ununterrichtete durch einfache factische Darlegung vom Stande der Dinge zu unterrichten, nicht tief gewurzelten Verdacht mühsam zu bekämpfen.

79) v. Theilius im n. krit. Journ. VIII. p. 174.

tinere sese potuisse, postquam ea, quae Act. 15. leguntur, publice professus esset. At vero non levior est Petri culpa, etiamsi statuas, de secundo P. itinere Gal 2, 1. exponi; quid enim? Paulus persuaserat apostolis, sibi divina auctoritate concreditam esse paganorum institutionem (2, 7.), conveneratque, Paulus ut ethnicis, ipsi ut Judaeis doctrinam divinam traderent (2, 9.): et huic tamen apostolorum decreto, quod suo assensu comprobaverat (2, 9.), Petrus paulo post, cum Antiochiam venisset, adversatur, a Christianorum e paganis consuetudine sese abstinens? Quis non videt, sic huic apostolo (cf. Mt. 26, 69 sqq.) haud minorem varietatis inconstantiaeque notam inuri, ac si decreto hieros. Act. 15. repugnasset? Sed accedit, quod gravius etiam est: Petrum iam pridem (antequam Antiochiam veniret) de sublato Judaeorum et paganorum discrimine *divinitus* admonitum fuisse Judaeisque Hieros. secus existimantibus fortiter restitisse (Act. 10, 8 sqq. 11, 2 sqq.). An hoc tale potest levitatis inconstantiaeque reprehensione carere ullo modo? — Quod *denique* mirantur, Paulum neque Gal. 2, 14 sqq. neque in tota epistola ad decretum hieros. provocasse, id leve est: nam 1) quod Gal. 2, 14 sqq. attinet, non universum sermonem, quo Paulus Petrum Antiochiae exagitasset, h. l. interpositum esse sponte apparet, nec, quid opus esset, Petro illud decretum, quod oblivioni tradere vix potuerat, in memoriam revocare, satis intelligitur, praesertim cum ne illius quidem divinae admonitionis, quam Petro obvenisse constabat (Act. 10, 8 sqq.), Paulus meminerit. Satius haud dubie fuit, *argumentis* e doctrinae christianae natura desumtis hominem tam varium ac subtimidum aggredi! [80]) —

80) Haec eadem scripta erant in edit. priore. Unde miror Niemeyerum, ita disputantem: *cur tam longa oratione Petrum*

Deinde vero 2) Galatas ipsos ad decretum hieros. reiiciendi neque necessitas ulla fuit, cum in vulgus istud notum esset Act. 16, 4., nec ea re aliquid proficere potuit Apostolus propterea, quod Galatas illud decretum nihil adhuc curasse appareret Maluit igitur ad divinam doctrinae suae auctoritatem provocare in eo potissimum loco, ubi dignitatem suam apost. defendere impense laborat. Accedit, Paulum in aliis quoque epistolis serius scriptis, ubi eandem rem tangit (ut 1 Cor. c. 8. et 9.), non provocare ad decretum istud hierosolymitanum [81]).

Sed pergimus ad *tertium* argumentum, quod a Keilio potissimum exornatum video [82]). Dicit ille, Paulum apostolum, peracto concilio hieros., longe faciliorem ac leniorem erga Judaeos fuisse multumque a pristina severitate remisisse v. Act. 16, 3. coll. Gal. 5, 2. 1 Cor. 9, 20 sqq. Act. 21, 20 sqq. coll. Gal. 2, 14. Sed ex perpaucis, quae subiecit, locis nihil sequitur nisi hoc, Paulum ea in caussa sibi non prorsus constitisse, quod haud scio annon in laude ducendum sit. Etenim, ubi rei christianae aliquid utilitatis inde nasci videbatur, cessit *sponte* imbecillibus hominibus rituum mosaicorum amicis (Act. 16, 3. 21, 20 sqq.); sed, ubi magnam disciplinae iudaicae vim tribui, circumcisionemque ut rem necessariam a doctoribus

---

reprehendisset, cum decretum haberet hieros.? quidni hoc, quo statim atque brevissime eum refutare potuisset (?), ob oculos ei posuit? Sed inde colligere possunt lectores, qua ille in refutandis argumentis meis subtilitate usus fuerit.

81) Id, opinor, in mente habuit Mayerus (p. 13. Einleit.) ita scribens: „von Gal. 1, 12. an hat seine Rede eine Wendung genommen, bei der er sich im 2. Cap. nicht wohl auf das Concilium und dessen Schluss berufen konnte."

82) Analect. III, 2. p. 64 sq.

vel iis, qui sapientiam quandam iactabant, posci intelligebat, fortiter restitit Gal. 2, 14., harumque rerum vanitatem ita demonstravit, ut disputandi fervore, qui in ipso esset maximus, ad asperas adeo et paullo acriores delaberetur formulas (Gal. 5, 2.). Id quam verum sit, apparet etiam ex epistola ad Romanos data, quam serius scriptam esse satis constat.

Itaque ex his omnibus intelligi putamus, sententiam eorum, qui de *secundo* itinere hieros. agi existimant, stare vix posse. Sed accedit, locum nostrum, si de tertio itinere exponatur, melius posse cum iis, quae in Actis App. narrantur, conciliari, quemadmodum vir ille doctus in neuen theol. Annal. p. 350 sqq. probabiliter demonstravit. *Primum* enim illo tempore, de quo est in Act. 11., Paulus nondum multa itinera rei christianae caussa susceperat (haec narrantur demum inde a cap. 13.) et videtur comes magis ac socius Barnabae fuisse quam vicissim cf. 11, 25. 30. 14, 12 sq. al. Contra Gal. 1. et 2. Barnabas tanquam Pauli socius sistitur atque *hic* ita cum Apostolis Hieros. agit, ac si aliquantum iam temporis in tradenda doctrina christ. consumsisset. Quanto igitur melius conspirant, quae leguntur Act. 14, 27.: καὶ ὅτι ἤνοιξε (ὁ θεὸς) τοῖς ἔθνεσι θύραν πίστεως et 15, 12.: ὅσα ἐποίησεν ὁ θεὸς σημεῖα καὶ τέρατα ἐν τοῖς ἔθν. δι' αὐτ. *Deinde* mira est rerum, quae Act. 15. et Gal. 2. narrantur, similitudo, ut ex hac tabula patet:

Act. 15, 10. τί πειράζετε τὸν θεόν, ἐπιθεῖναι ζυγὸν (περιτομὴν) ἐπὶ τὸν τράχηλον τῶν μαθητῶν τλ. v. 28. ἔδοξε γὰρ τῷ ἁγίῳ πνεύματι καὶ ἡμῖν, μηδὲν πλέον ἐπιτίθεσθαι ὑμῖν βάρος τλ.	Gal. 2, 3. οὐδὲ Τίτος, ὁ σὺν ἐμοί, ἕλλην ὤν, ἠναγκάσθη περιτμηθῆναι.

Act. 15, 1. καί τινες κατελθόντες ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας ἐδίδασκον τοὺς ἀδελφούς, ὅτι, ἐὰν μὴ περιτέμνησθε τῷ ἔθει Μωϋσέως, οὐ δύνασθε σωθῆναι. v. 5. ἐξανέστησάν τινες τῶν ἀπὸ τῆς αἱρέσεως τῶν Φαρισαίων πεπιστευκότες, λέγοντες, ὅτι δεῖ περιτέμνειν αὐτούς τλ.

Gal. 2, 4. διὰ δὲ τοὺς παρεισάκτους ψευδαδέλφους, οἵτινες παρεισῆλθον κατασκοπῆσαι τὴν ἐλευθερίαν ἡμῶν - - - ἵνα ἡμᾶς καταδουλώσωνται.

Act. 15, 2. Παυλ. καὶ Βαρν. καί τινας ἄλλους.

Gal. 2, 1. ἀνέβ. μετὰ Βαρν. συμπαραλαβὼν καὶ Τίτον.

Act. 15, 2. πρὸς τοὺς ἀποστόλους καὶ πρεσβυτέρους.

Gal. 2, 2. τοῖς δοκοῦσι.

Contra, quae Act. 11. inter et Gal. 2. intercedere dicitur similitudo, omnis fere cernitur in uno voc. κατὰ ἀποκάλ. Gal. 2, 2., de quo iam supra ita disputatum esse arbitror, ut, quam parum auctoritatis in hac quaestione habeat, appareret.

Sed haec iis tantum disputata sunt, qui verba δια δεκατ. ἐτῶν a Paulo ipso profecta esse concedunt. At reperiuntur haud pauci, qui, maxime ut Gal. l. c. Paulum de *secundo* itinere hieros. loqui evincant, simul vero, ut locum 2 Cor. 12, 1—7. cum temporum rationibus concilient, pro δεκατεσσάρ. rescribi iubent τεσσάρων [83]),

83) Huc pertinent Cappellus l. c. Grotius, Heinrichsius (Prolegg. ad Act. p. 59 sq.), Bertholdt (l. c. p. 2711.), Künoel. (l. c. p. XXV.), Keil. (in Opusc. I, p. 338.). Quomodo ista lectio διατεσσ. facile oriri potuerit, probabiliter demonstrant Künoel. et Heinrichsius l. c. Sed v. Vogel l. c. p. 259. not. Ammon krit. Journ. I, p. 233. Bengel. Archiv IV, p. 41 sqq.

freti maxime Chronici Eusebiani auctoritate. Etenim l. c. dicit Paulus, se πρὸ ἐτῶν δεκατεσσάρων raptum esse ἕως τρίτου οὐρανοῦ καὶ εἰς τὸν παράδεισον. Iam, si haec ἀποκάλυψις eadem est, quae Paulo in itinere damasc. contigit, ut nuper statuit etiam Emmerlingius [84]), sponte intelligitur, Pauli conversionem inter et tertium iter hierosol., quod longe ante ipsius in Macedonia (inde enim scripta est 2. ad Cor. epistola) commorationem accidit, non potuisse quattuordecim annos interiectos esse. Verum si τεσσάρων legis, poteris vel cum Keilio a prima usque ad secundam Pauli profectionem vel cum Emmerlingio a prima usque ad tertiam probabilem computationem instituere. Nam si Paulum a. 38. ad sacra christiana accessisse sumis, primum eius iter hieros. incidit in 40. vel 51. aer. D., secundum in 44. vel 45. an., tertium in 48. vel 49. an., epistola vero ad Cor. posterior scripta esse videbitur an. 52. vel 53., id quod ferri quodammodo potest [85]). At nos certe non possumus adduci, ut propter ea, quae 2 Cor. 12. leguntur, antiquam et ab omnibus testatam loci Gal. 2, 1. scripturam sollicitemus; nam Cor. l. c. ἔκστασις magis quam visum (ut Act. 9.) narratur, certe nihil eorum, quae primae apostoli ἀποκαλύψει propria erant, tangitur. Accedit, quattuor aut quinque annos vix sufficere duobus posterioribus, quae Paulus in Asiam et Graeciam suscepit, itineribus.

Novam prorsus eamque satis ingeniosam hac omni de re sententiam nuper proposuit Ven. Theilius [86]), cum

---

84) Epist. ad Cor. poster. p. XV sqq.

85) Lorenzius etiam a tertio Pauli itinere hieros. usque ad tempus scriptae posterioris ad Cor. epistolae *quinque* annos effluxisse contendit l. c. p. 70.

86) n. krit. Journ. VIII. p. 169 sqq.

Emmerlingio statuens, 2 Cor. 12. eandem ὀπτασίαν dici, quae in itinere Dam. Apostolo contigisset. Is autem putat, Gal. 2, 1. διὰ δεκατ. ἐτ. non significare, nisi (utimur eius verbis) innerhalb *ganzer* vel innerhalb *der* vierzehn Jahre. Iam vero constat, epistolam ad Gal. non multo ante secundam ad Corinthios scriptam esse, hoc si factum sumis a. 56. vel 57., iure colligitur, Paulum a. 42—43. ad rem Christianam accessisse. At vero, si vel concedam 2 Cor. 12. nobile istud visum, quod Apostolo Damascum pergenti obvenit, narrari (v. tamen quae paullo ante monita sunt), magnopere dubito, verba διὰ δεκ. ἐτῶν recte verti per 14 *integros* annos vel innerhalb *der* 14 Jahre (*hoc* certe scribi debebat διὰ τῶν δεκ. ἐτ.) [87]), *deinde*, si P. dixisset, während *ganzer* 14 J. (denuo ascendi), vix poterat, opinor, *secundum* iter silentio praetermittere. Accedit denique ita non apparere, quomodo quae 2 Cor. 11, 32 sq. leguntur, cum ista annorum P. descriptione conciliari recte possint.

---

87) Omnino si P. istos 14 annos ab eo tempore, quo ad Gal. scribebat, retro computasset, dilucidius haud dubie scripsisset: διὰ τούτων τῶν δεκ. ἐτῶν. Ceterum hanc verbi διά explicationem (innerhalb) praeiverant iam Oederus et Wolfius in Curis.

EXCURSUS III.

IN LOCUM CAP. 3. v. 20.

Nullum facile in omni N. T. locum deprehendi, qui tantam interpretationis diversitatem, quantam hic, expertus sit, ab iis, quorum est harum rerum idonea scientia, facile concedetur. Nobis vero, cum iam alii varias et antiquorum et recentiorum theologorum explicationes (ducentae fere sunt et quinquaginta) diligenter enarraverint et ad certas interpretandi leges probabiliter examinaverint [88]): hoc uno negotio fungi placet, ut, quae post Keilium prolatae sunt, sententias persequamur, qualesque illae sint, consideremus.

Fr. Steudel, Theol. Tubingensis (auch ein Versuch die Stelle Gal. 3, 16. zu erklären, nebst einer Anfrage

---

88) Pertinent huc: C. F. Bonitius (Plurimorum de loco Gal. 3, 20. sententiae examinatae novaq. eius interpretatio tentata. Lips. 1800. 8. Spicileg. observatt. ad loc. nobil. Gal. 3, 20. ib. 1802. 8.). C. Th. Anton (Diss. locus Gal. 3, 20. critice, historice et exegetice tractatus. Viteb. 1800. 4. em. et auct. in Potti Sylloge V, p. 141 sqq.). Ch. Ch. Zäuner (hist. exeg. homilet. Versuch üb. Gal. 3, 15—21. Nürnb. 1807. 8.). C. A. G. Keil (Pr. proponitur exemplum iudicii de diversis singulorum S. S. locor. interpretationibus ferendi examinandis variis interpretum de loco Gal. 3, 20. sententiis. Lips. 1800 —13. P. I—VII. 4. repet. in Keilii

über die Deutung v. Gal. 3, 19. 20. in Bengels Archiv I, p. 124—143. [89]) existimat, v. 19. adversarium loqui, sed v. 20. respondere Paulum, ita tamen, ut hic postrema tantummodo istius verba arripuerit. Sensum universi loci hunc esse dicit: „Wofür denn nun das Gesetz? wurde es etwa blos der Uebertretungen wegen (um übertreten zu werden), als Zugabe ertheilt, bis der Same käme, welchem die Verheissung gilt? und doch wurde es durch Engel bekannt gemacht und durch den Dienst eines Vermittlers?" Freilich (antwortet Paulus) durch den Dienst eines Vermittlers. Nur war dieser nicht Vermittler ἑνὸς σπέρματος, Verm. eines vereinigten (v. 16.) Samens (des σπέρματος τῶν πιστευόντων), Gott aber ist *einer* (nicht ein anderer Gott für die Juden, ein andrer für die Heiden). — Verum haec interpretatio non una de caussa displicet: nam 1) licet negari non possit, similes passim apud nostrum reperiri locos (Rom. 3, 9. 3, 4.): Paulum in tanta disputationis subtilitate, quantam h. l. deprehendimus, ita negligenter versatum esse, ut postrema tantummodo adversarii verba carperet, non admodum pro-

---

opusc. ed. Goldhorn. P. I, p. 221 sqq.), denique, qui nuperrime accessit, sed magnam scribendi sive imperitiam sive negligentiam prodidit, G. H. F. Weigand (ἑνός in nobil. Pauli Gal. 3, 20. effato haud genitivo sed nominativo casu esse positum, examinatis aliorum 243. interpretum explicationibus docere studuit. Erford. 1821. 8). Nos praetermisimus consulto Jos. Gödörum, qui (in spec. novae intpt. Gal. 3, 20. Jen. 1818. 8.) pro μεσίτης legi iussit σπέρμα, et ipsum Weigandium, cui pro ἑνός placuit ἕνος, quod quidem voc. praeter linguae usum de *annuo* (mediatore) exposuit, cum non significet nisi *annotinum, hornotinum* (heuerig). Sed nimirum hoc est hariolari.

89) In easdem partes discedit vir doct. in neuen theol. Annal. 1817. p. 345.

babile est; 2) pro δέ, si quid video, scribi debebat ἀλλά; 3) ad ἑνός (si vel σπέρματος intelligere liceat, v. tamen Bonizium p. 45. et Keilium, opusc. p. 223.) non poterat non artic. adiici; 4) ἓν σπέρμα e Pauli sententia coetum τῶν πιστευόντων e Judaeis et Paganis mixtum significare, vix tibi persuadebis v. 19. consideranti; certe Steudelii explicationem: und diese grosse verheissene Sache ist Chr. non tolerandam censebis ullo modo.

L. Bertholdt (krit. Journal der neuesten theol. Literat. V, p. 337—357.) duplicem praeivit explicandi rationem. *Primum* enim ἑνός ad Abrahamum pertinere, hunc autem ab Hebraeis הָאֶחָד e loco Jes. 51, 2. honoris caussa appellatum esse (Ezech. 32, 24. Malach. 2, 15. ubi v. Jarchi) contendit. Iam sensum ita eloquitur: „Dieser Moseh machte aber nicht schon bei Abraham den Vermittler, ohnerachtet der nämliche Gott, welcher das Gesetz gab, auch dem Abr. die Verheissung gegeben hat. Wenn nun Moseh nicht Vermittler bei Abrah. war, so konnte er durch sein Gesetz auch nicht den zwischen Gott und Abrah. gemachten Bundesvertrag aufheben und es besteht also die göttl. Verheiss. noch immer in ihrer Kraft etc." At vero 1) quae in permultas alias explicationes singulae cadunt difficultates grammaticae, eae *omnes* hanc unam premunt; debes enim ὁ μεσίτ. dictum putare pro οὗτος ὁ μεσίτ., ἐστὶν pro ἦν, ἑνὸς pro τοῦ ἑνός· hoc est non interpretari, sed pervertere orationem apostoli; 2) cur voc. εἷς diverso sensu intelligi nequeat, docte explicatum est a Keilio I, p. 18.; 3) Abrahamum a Judaeis vocatum esse simpliciter האחד, argumentis idoneis non demonstravit Bertholdtus: nam in loco Sirac. 49, 19. ne legitur quidem voc. εἷς, apud Jarchium autem Judaeis appellatur Abrahamus האחד propter ea, quae propheta respondisse narratur: שאר רוח לא היתה

דעתו כדעתכם לא נתן בה עיגיו דעת אחרת היתה לו quasi dicant: hic, quem tu tantopere laudas, cuius aliam atque ceterorum hominum fuisse naturam dictitas; 4) inepta sic nasci videtur sententia: nam quae tandem est haec conclusio: promissio Abrahamo sine Mosis interventu facta est, lex vero data intercedente Mose: itaque lex non potest tollere promissionem! Scilicet, si promissio Abrahamo contigisset Mose et ipso interprete, lex, quae posthac secuta est, necessario tolleret istam ἐπαγγελίαν? cur, obsecro? annon potuit Deus eodem interprete in utraque caussa uti, etiamsi non vellet *contraria* proponere? pendetne vis et auctoritas ἐπαγγελίας aut legis ab interprete? Haec fateor me non satis assequi. Sed ipse B. haud multum tribuere videtur huic explicationi; nam aliam subiunxit valde diversam [90]). Existimat enim Paulum *aramaice* sic scripsisse: ואמצעי אחד לא הוה ואלה אחד, horum autem sensum non recte percepisse interpretem, quippe quae graece converti deberent ita: ὁ δὲ μεσίτης κληρονομῶν (אָחֵד partic. verbi אחד i. e. אחז) οὐκ ἦν, ὁ δὲ ϑεὸς (i. e. quanquam Deus) εἷς ἐστίν! Non magnopere miror, interpretem graecum chaldaica haec perperam intellexisse; nam neminem puto recte intellecturum fuisse: tam aliena sunt ab hoc loco, de quo quaerimus. Etenim 1) quomodo Paulum in miram hanc sententiam (ὁ δὲ μεσ. κληρονομῶν οὐκ ἐστί) delapsum esse existimem? illud per se patebat, nec ab ullo aliquo homine, qui saperet, in dubium vocari poterat; — 2) אחד de κληρονομίᾳ τῆς ἐπαγγελίας vix licuit Apostolo *simpliciter* dicere: cum longe

90) v. etiam Einleit. VI, p. 2789.

seiunctum sit voc. ἐπαγγελίας a v. 20., addere certe debebat יהוה *eam*; et voc. אחד, ubi *nanciscendi impetrandive* notio exprimenda, paulo insolentius, credo, diceretur; — 3) non video, quomodo haec inter se cohaereant: ὁ δὲ μεσ. κληρ. οὐκ ἦν et ὁ δὲ ϑεὸς εἷς ἐστίν; *facilem* certe nemo dixerit transitum. Accedit, hanc omnem viri docti coniecturam a sententia proficisci eorum, qui Paulum literas aramaico sermone scripsisse aud dictasse temere statuunt. v. Prolegg. p. 9.

Ch. G. Wilke, Herrmannsdorfiensium in Saxonia regia Past., singulari libello (Spicilegium observationum ad loc. Gal. 3, 20. Cizae 1814. 4.)[91]) novam proposuit loci nostri explicationem, ingeniosam illam, neque tamen perspicue satis expressam. Sic autem disputat: „ὁ δὲ μεσ. ἑν. οὐκ ἐστί, h. e. εἷς οὐκ ἐστίν, unius mediator nullus est; duarum potius est partium, quarum ab altera pendet v. c. propositio s. consilii, quod capiatur, manifestatio, ab altera assensus et acceptio, adeoque mediator duplicem quasi personam agit. Sed longe secus se habet in Deo. Hic εἷς ἐστί, unus est, ipse proponit, ipse ratum facit et exsequitur.“ Non possum equidem assentiri Wilkio meo: nam alium is sibi finxit μεσίτην, atque Moses fuit; intellexit enim hominem, qui duas partes sibi contrarias conciliet, poscentem alteram alteram negantem (*intercessorem* dicunt Romani Cic. ad Div. 7, 27. nos: *Vermittler*); sed hoc in Mosen non cadit, qui non esset nisi divinae voluntatis interpres, qui legem perferret tantummodo ad populum, non agendo consulendoque componeret (Mittler, Organ der Gottheit). Utrumque et νόμον

---

91) v. Ammon und Bertholdt krit. Journ. der neuesten theol. Liter. III, p. 430 sqq.

et ἐπαγγελίαν dedit ipse Deus; itaque legis non minor fuit auctoritas, quam promissionis; quod in lege ferenda μεσίτῃ usus fuerat Deus, id non potuit legis vim infringere aut debilitare.

Pergimus ad G. J. L. Reussium (ap. Grofdorf. prope Gissam Past.), qui de loco nostro paucis exposuit in Animadverss. ad loca sacri cod. difficiliora Gal. 3, 20. 1 Cor. 15, 29. Joh. 4, 22. Gissae 1817. 4. 92). „Censeo, inquit, post ἑνός supplendum esse e v. 16. σπέρματος et Χριστός ibid. positum esse collective pro Christianis s. posteritate christiana. Hac interpretatione admissa sensus ita exprimendus erit: Hic vero mediator (Moses cf. v. 19.) non est mediator unius (unice verae illius) posteritatis Abrahami, Christianorum nempe. Deus itaque, abdicato mediatore olim a se ipso constituto, alium nunc mediatorem sibi elegit; id quod ab immutabilitate eius omnino abhorrere videtur. Verum enim vero, respondet P., et haec obiectio nullius est momenti: Deus enim manet immutabilis, stat promissis, quanquam ad consilia sua perficienda non semper uno eodemque mediatore utitur.“ Sed facile quisque intelligit: 1) hoc si P. dicere vellet, scribendum fuisse τοῦ ἑνὸς (ἐκείνου); — 2) voc. ἑνός diversam tribui significationem; — 3) satis impeditam esse sententiam: multa enim cogitando adiici debent, ut constet aliquis verborum nexus.

Vir quidam doctus C. F. B. (Böhme?) in neuen theol. Nachrichten 1818. p. 183 sqq. inter locum nostrum et alium, qui est ad Hebr. 3, 4., contentionem instituit, illiusque sensum hunc esse dicit: „Ein Mittler aber muss

---

92) Easdem repetiit in Ephemer. exeget. theol. Fasc. II. (Giess. 1824. 8.) p. 72 sq.

nicht eben zu einerlei Sache nur gebraucht werden, doch ist dabei Gott (indem er mehrere Mittler in verschiedenen Geschäften gebraucht), immer Einer und derselbe, d. h. ein Mittler war zwar Moses nicht weniger als Jesus Chr., den man sonst vorzugsweise (vgl. 1 Tim. 2, 5.) so nennt, aber darum nicht Mittler für das, was dieser zu vermitteln und auszurichten hatte: sie waren aber beide, so wie auch ihre Geschäfte und Zwecke, von Gott, dem Einen und sich immer Gleichen, von dem Alles kommt" At vero, ut taceam, vocabulo εἷς duplicem tribui sensum, quod h. l. fieri non potest ullo modo (v Keil I, p. 10.), Christus hic non tanquam μεσίτης, sed tanquam σπέρμα, ᾧ ἐπήγγελται v. 19., spectatur, illa autem μεσίτου provincia, quae Christi esse alibi dicitur, ab hac Pauli disputatione prorsus aliena est.

Sequitur J. Schulthessius, Tigurinus theologus. Is (Analecten v. Keil und Tzschirner II, 3, p. 133—152.) [93]) hanc proposuit interpretationem: „hic internuncius (Moses) non est internuncius unius i. e. communis illius Dei, qui olim et Abrahamo spopondit, per eum aliquando gentes beatum iri (des allgemeinen Menschengottes), et qui est unus s. communis omnium parens, sed est potius internuncius angelorum, quorum praeter ceteras gentes praecipua et unica Judaeorum cura erat, archangeli Michaelis et, quod ducere creditur, agminis." Non possum a me impetrare, ut in hanc viri egregie docti sententiam concedam, his potissimum de caussis: 1) pro arbitrio sumitur, omissum esse θεοῦ; certe aspera est haec oratio: ὁ δὲ μεσ. ἑνὸς οὐκ ἐστίν, ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐστί, pro: ὁ δὲ μεσ. θεοῦ τοῦ ἑνὸς οὐκ ἐστί etc; 2) vix

93) Add. neueste theol. Nachrichten 1828. p. 59 sq.

potuit abesse articul. τοῦ (ἑνός); 3) alibi Deus εἷς vocatur, respectu *naturae* habito, non tanquam communis omnium gentium; id ipsum cadit in locos a Schulthessio collatos 1 Tim. 2, 5. Rom. 3, 20. Eph. 4, 6. 1 Cor. 12, 9., quos diligenter persecutus est Schmiederus l. c. p. 37.; 4) Paulum legis mos. originem ad *angelos* tanquam *auctores* retulisse, improbabile admodum est, v. Exc. I, p. 144 sqq., neque ille fractam τοῦ νόμου auctoritatem demonstrat nisi inde, quod ad tempus tantummodo scriptus et tanquam paedagogus additus fuerit (v. 19. 23 24.). Quod autem Sch. dicit: „die grosse, für Judenchristen und die mit jüdischen Ideen, als Proselyten des Thors, genährten Heidenchristen, allzustarke Wahrheit überlässt der Apostel den Lesern seines Briefs aus diesem Briefe selbst zu ziehen, wenn sie dieselbe zu fassen und zu vertragen vermöchten:“ id, si quid aliud, precario sumtum est [94]).

Erudite in hunc difficilem locum commentatus est etiam Schmiederus, Portensis (v. p. 85. not.). Hic, disciplinam iudaicam et ipse ad angelos quodam modo referens, μεσίτην illum v. 19. 20. esse angelorum, qui Mosi legem tradiderunt, oratorem (מטטרון s. מיטטרון Judaei i. e. μεταθρονον vocant) contendit, sensumque totius loci, dialectica arte in subsidium vocata, ita enarrat: „quivis minister vel multorum est vel unius, atqui mediator non est unius: ergo est multorum minister. Qui multorum est minister, ad quod genus mediator pertinet, non est unius: atqui Deus (absolute) unus est: ergo cum multorum sit, mediator non est Dei minister.“ Ita effi-

---

94) Pauca sunt, quae contra hanc interpretationem monuit vir doctus in Bengels neuem Archiv II, p. 350 sq.

citur, legem iud. quippe non per Deum ipsum aut eius filium, sed per angelos promulgatam, inferiorem esse evangelio (p. 35.), atque in his verbis tertium quoddam argumentum, quo P. legis mos. auctoritatem infringat, positum esse arbitratur Schmiederus. Ingeniose omnia ab eo disputata esse, docte vero illa, quae de Metatrone addidit, lubenter concedo; sunt tamen, quae, quo minus in viri praeclari sententiam transeam, vehementer me impediant. *Primum* non intelligo, cur μεσίτου vocabulum de eo duntaxat dictum existimet, qui *complurium* (multorum) nomine aliquam rem gerat; μεσίτης significat interpretem quemvis duas inter partes intercedentem, sive hae singulorum sive plurium aut multorum sint; ex uno autem loco 1 Sam. 17, 4. 23., ubi Goliathus, singulari certamine integri populi caussam agens, אִישׁ הַבֵּנַיִם vocatur, non sequitur ullo modo, pro *usu loquendi* Hebr. μεσίτην semper esse debere plurium hominum aut integri coetus, nec id in duali בֵּינַיִם inest [95]), imo, eodem iure inde efficias, *mediatorem* Hebraeis non dici nisi qui *pugna* rem dirimat alius nomine. Jam si haec μεσίτου significatio precario sumitur, omnis fere Schm. disputatio concidit. *Deinde* quod putat, sua tantum interpretatione admissa ἐν χειρὶ μεσίτου recte habere, nostram vero explicationem εἰς χεῖρα postulare, id est, si quid video, argutari; etenim בְּיַד פ' non significat nisi *per aliquem* h. e. *ministerio, opera alicuius;* operam vero praestitit Moses, tanquam internuncius, et angelis, qui tradebant legem, et Israelitis, qui accipiebant. Διατάσσεσθαι autem h. l. dicitur lex (a Deo) *per angelos*, non *ab* angelis, et,

---

95) Semel in LXX versione legitur μεσίτου voc., et de eo quidem, qui unius hominis caussam agit Iob. 9, 33.

si vel hoc, tamen διατάσσειν non est *tradere,* quod quidem verbum posceret εἰς χεῖρα μ. — *Denique* non persuasit mihi Schm., disciplinam iudaicam ab angelis repeti in literis sacris aut Israelitas subiectos fuisse angelis. In V. certe Test. libris omnia instituta, omnisque cultus sacer ad Deum refertur: sabbata in honorem Jovae, non* angelorum celebrare iubentur Israelitae, pascha appellatur *Dei* (Exod. 12, 11.), victimae offeruntur Jovae cet. Unde igitur haec talia sumsit Schm.: „factum est, ut Israelitae angelis aeque ac Mosi subiicerentur et ad externi cultus religionem ipso Deo volente iis (angelis) obstringerentur, ita ut sabbata et novilunia, lavationes et certos sacrificiorum ritus observare deberent? unde hoc est, quod dicit, Deum angelos huius mundi rectores constituisse? Nimirum ex N. T. haec demonstrare conatus est. Sed quos attulit ep. ad Gal. locos (3, 24. 4, 8.), in his vix quisquam, nisi ista opinione praeoccupatus, talia deprehendet. Itaque omnia redeunt ad locos Col. 2, 14—19. et Hebr. 2, 5. Et in hoc quidem posteriore verba οὐ γὰρ ὑπέταξε τὴν οἰκουμένην τὴν μέλλουσαν, respicere videntur ad ea, quae 1, 14. de πνεύμασι λειτουργικοῖς leguntur, nec est quod in verbo ὑποτάσσειν, quantum ad angelos pertinet, nimiam vim quaeras. De iis autem, quae Col. 2. exponuntur, iam dictum est supra pag. 146 Postremo non possum non mirari, Schmiederum in loco 1 Cor. 8, 5. 6. explicando cum Clerico facere. Inanem esse tautologiae metum, quo perculsum se sensit Clericus, ostendit nuper Pottus, nec λεγόμενοι θεοὶ - - ἐπὶ τῆς γῆς possunt, nisi contorte, homines dici.

Ven. Schleiermacherus auctore Usterio [96]) v. 20. hunc sensum esse statuit: „ubi ἐν χειρὶ μεσίτου aliqua

96) Paull. Lehrbegr. p. 86 sq.

συνθήκη (pactio) conficitur, duae necessario inter se paciscuntur partes; ita foedus istud, quod in lege mos. continetur, ab una parte fecerunt Israelitae, ab altera Deus; contra, si de promissis et decretis (διαθήκαις) agitur, Deus εἷς ἐστι, unus omnia proponit atque rata habet.“ Haec autem loci difficillimi explicatio, ad Keilianam proxime accedens, non uno modo laborare videtur. Nam 1) discriminis illius inter συνθήκην et διαθήκην in P. disputatione nullum deprehenditur vestigium, et si deprehenderetur, verbis ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐστιν (ut hic collocata sunt) non poterat, nisi qui omni scribendi usu careret, ad novam prorsus sententiam transsilire; scribere certe debebat: ἐν Χριστῷ δὲ vel ἐν ἐπαγγ. δὲ ὁ θεὸς εἷς ἐστιν; — 2) in v. μεσίτου non inest necessario *pactionis* (συνθήκης) notio; intercessoris enim ibi etiam locus est, ubi, qui dignitate eminet, non vult ipse cum his agere, quos se longe inferiores esse intelligit; — 3) *origo* legis mos. vix poterat ita a χάριτι τοῦ θεοῦ seiungi, ut alii rei, quae a gratia divina profecta fuerit, opposita cogitaretur. Certe ap. Paulum diversa et iustitiae et gratiae div. oppositio; — 4) lex promissis haudquaquam adversari non propterea dicitur, quod ista pactione quadam, haec gratiâ div. nitantur, sed, quemadmodum v. 21. declarat, quod legis haec natura erat, ut non posset τὴν ζωὴν afferre [97]).

Addendus denique est, qui nuper admodum, non indicato nomine suo, Neostadii germanicam nostrae epist. interpretationem emisit [98]). Is verba διαταγ. δι' ἀγγέλων ἐν χ. μεσ. - - - εἷς ἐστίν ita expressit: es ist (das

97) v. etiam Lückius l. c. p. 89 sqq.

98) Paul. Sendschreib. an d. Gal. u. Joh. 1. Brief übers. Neustadt a. d. O. 1827. 8. p. 82.

Gesetz) als eine Zwischenreligion (μεσίτης νόμος i. q. μέσος νόμος) aufgestellt worden durch die, welche es anzuordnen beauftragt waren. Was aber blos Mittel (Mittelursache) ist, das ist nicht selbstständig (und einzig); nur Gott ist selbstständig (einzig)! Portentosam sane explicationem, quam nemo dubitabit miraculis exegeticis adnumerare! Sed eodem tamen, si rei summam spectas, tendit Schwabii Vimariensis interpretatio, quam proposuit in libro: Vierteljähr. Mittheilungen IV, 1, p. 7 sqq. Ita enim ille: „peccati caussa lata est (lex) a diis tutelaribus populi iudaici (δι' ἀγγέλων) per Mosen, qui munere μεσίτου fungeretur, i. e. auctoris status interimistici (!!), provisorii (!), qui ἐν μέσῳ stat inter statum minus perfectum, qui adest, et perfectiorem aut absolute perfectum et definitum, qui exspectatur. Status vero talis interimisticus tunc tantum et ibi solum locum habere potest, cum et ubi status definitus nondum perfici potuit. Hoc in Deum non cadit, in Deo enim omnia sunt firma et perfecta, Θεὸς εἷς ἐστίν, semper idem est, consilia non mutat, decreta non reprobat. Μεσίτης igitur non status firmi, perfecti (ἑνός) auctor est, non effecit dei consilia, quae firma sunt et *ad omne genus humanum pertinent*, sed instrumentum quasi fuit, per quod dii tutelares populi iud. suis prospexerint. — Consilium vero dei per hunc statum provisorium (legislationem mosaicam) nec sublata [99]) nec dilata est cet.“ Sententiam ita oriri Paulo haud indignam, facile concedo. Sed, obsecro, quibus haec machinis et tormentis ex Apostoli verbis expressa est! Et unde Schwabius habet populi iud. *deos tutelares?* quomodo demonstrabit, διά in tali loco esse i. q.

---

99) Cedo quid? num *consilii* vocabulum est muliebris generis?

ὑπό? quî potest genit. ἑνός seorsum positus *statum firmum* significare? Sed videtur Schwabius, si recte eius mentem intellexi, huic voc. duplicem adeo notionem tribuisse, conditionis et *firmae* et *omnibus* (hominibus) *destinatae* (eine für alle M.). Quid multa? Non puto, hac ratione quidquam profici in vexatissimo loco ad simplicem sensum revocando [100]).

Tantae igitur molis erat, importunam hanc tollere crucem! Quod cum intelligeret Ven. Lückius, suasit nuper, ut v. 20. quippe e duabus glossis ortum ex orationis continuatione proiiceretur! Lubenter obtemperarem docto homini, nisi meam interpretationem etiamnum ferri posse putarem. Nimirum hoc ipsum, quod L. in communi explicatorum perturbatione non videret exitum, virum, quo non facile invenias circumspectiorem, eo adduxit, ut de verborum interpretatione desperaret. Nam patrum antiquiorum silentio [1]) non multum efficitur, cum

---

100) v. etiam quae Schulthessius (neueste theol. Nachr. 1828. p. 60 sqq.) contra hanc Schwabii interpretationem disputavit.

1) Quidi patres ab hoc v. laudando sese abstinuerint propterea, quod verbis ὁ θεὸς εἷς ἐστιν ad demonstrandam numinis div. unitatem nihil opus habebant in tanta aliorum locorum copia, hoc autem, Christum utrorumque et Judaeorum et gentilium μεσίτην esse, longe clarioribus Pauli verbis, quam quae priorem istius v. partem efficiunt, declarari poterat? Quominus vero illi, ubi v. 19. laudassent, vicesimum etiam adderent, impediri poterant eo ipso, quod v. 20. (ut ipse Lückius concedit) non ad demonstrationis vim atque nexum pertinere recte intelligerent. Sed ut veniam ad Irenaeum, is tertio adv. haer. libro c. 7. cum de hyperbato dicat ap. Paul. admodum frequenti, non poterat non v. 20. omittere, quod ille nihil ad hyperbaton v. 19. pertineret, in alio autem loco 3, 20. non tam de *mediatoris* officio, quam de incarnationis necessitate (sit venia verbo) disputat, nec quemquam fore arbitror, qui hanc disputationem etiam praetermissis istis verbis ὁ δὲ μεσίτης cet. perfici potuisse neget.

demonstrari nequeat, quid illi dicere quibusve S. S. locis uti *debuerint*. Certe hoc si ex tua sententia metiaris, facile poteris eo redigi, ut de eiusmodi etiam locis ambigas, qui omni suscipione carent. Itaque nisi codices et versiones antiquae iustas dubitationes iniiciant, nolim patrum silentio in tali caussa aliquid tribuere. Deinde, ut speciosam istarum glossarum originem earumque in unam sententiam copulationem declararet, plura excogitasse videtur L., quae, licet singula a probabilitate non abhorreant, iuncta tamen operosam reddunt coniecturam. Tale autem ingenii acumen malim ut in explicandis quam proscribendis verbis, de quibus quaeritur, identidem experiatur, si forte inveniatur, non quod sit veritati proximum, sed quod verum.

INDEX

VOCABULORUM ET FORMULARUM, QUAE IN ANNOTATIONE PERPETUA EXPLICANTUR.

Ἀγαθωσύνη 124 sq.
Ἄγαρ 109.
ἀδελφοί 40.
ἀθετεῖν 71.
ἀκούειν 107.
ἀλληγορεῖν 108.
ἁμαρτωλοί de gentilibus 65.
ἄν usus quidam 102. 106.
ἀναγκάζεσθαι 65.
ἀνάθεμα et ἀνάθημα 44.
Anacoluth. 56. 58.
ἀνατίθεσθαι 54.
ἄνωθεν 99.
ἀπό et διά quomodo differ. 39.
ἀπό post passiv. 60.
ἀποκόπτεσθαι 117.
ἆρα et ἄρα 66. [de ἆρα *nonne* v. etiam Bremi ad Demosth. p. 223.]
ἄρτι 44.
Articuli omissio legitima 40. 86 sq. collocat. 41. 43. 86 sq.
ἀσέλγεια 122.
ἀσθένεια 101.
Attractionis species 99.
βασκαίνειν 72.
γάρ usus quidam 68. 121. 129.
γίνεσθαι *nasci* 95.
γινώσκεσθαι 98.
δάκνειν trop. 119.

Dativ. 58., an per ἐν exprimatur 50. de *caussa* 134.
δέ post duo aut tria verba posit. 89., permutat. c. γάρ 46.
διά et ἀπό quomodo differ. 39., διά de tempore 54. de statu animi 101.
διαθήκη 80. 108.
διαφέρειν constr. 59.
δοκοῦντες 55.
δωρεάν 71.
ἐάν cum indicat. 43.
ἐὰν μή 66.
ἑαυτόν pro σεαυτόν 119.
ἐγκόπτειν 115.
εἰ μή non est *sed* 43.; usus quidam rarior 52.
εἴγε et εἴπερ 75.
εἶναι ἐκ 76. 78.
ἐκκακεῖν 131.
ἐκκλείειν 103.
ἐκπίπτειν τινός 114.
ἐκπτύειν 102.
ἐμμένειν τινί 77.
ἐν an pro εἰς 42., an dativ. indicet 50. post δοξάζειν 53. an *propter* 53.
ἐν Χριστῷ 58. 115.
ἐνδύσασθαι Χριστόν 91.
ἐνεστώς *praesens* 41.
ἐνέχεσθαι 112.
ἔνι 92.
ἐξορύττειν ὀφθαλμούς 102.
ἐπαγγελίαι 80.
ἐπί *de* 81. consilium indicat 118.
ἐπιδιατάσσειν 80.
ἐπίτροπος [Herod. 4, 76.] 93.
ἔρημος 111.
εὐπροςωπεῖν 134.
εὑρίσκεσθαι non pro εἶναι 66.
ζηλοῦν 103.
ζύμη 116.
ἰδέ et ἴδε 113.
Ἱερουσαλὴμ ἡ ἄνω 110.
ἵνα cum indicat. praesent. 104. [add. Himer. 15, 3. ἵνα ἔρχονται, pro quo tamen Wernsdorf. reponi iubet ἔρχωνται]
ἵνα μή non est i. q. ὥςτε μή 121.
Indicativ. post ἐάν 43., post ὥςτε 64., post μήπως 99., praesent. post ἵνα 104., post ὄφελον 117.
ἱστορεῖν 51.
καθώς non pro οὕτως 76.
καί *idemque* 41., et *tamen* 101., *id est* 136.
κατά an *originem* significet 47. *ad exemplum* 111.

κατ' ἄνθρωπον 79.
καταλύειν νόμ. 68. [add. λύειν νόμον Herod. 3, 32. Himer. Eclog. 2, 6.]
καταργεῖσθαι ἀπό 114.
καταρτίζειν trop. 127.
κατεσθίειν 120.
κοινωνεῖν 130.
κυροῦσθαι 80.
κῶμοι 124.
τοῦ λοιποῦ 136.
μᾶλλον δὲ 98.
μάτην 71.
Meiosis 116.
μεσίτης 86.
μεταστρέφειν 43.
μετατίθεσθαι 41.
μή verbis negandi additum 115. [v. tam. Schäfer ad Demosth. IV. p. 164.].
μὴ γένοιτο 135.
μήπως 55. cum praeter. indicat. 99.
μυκτηρίζειν 130.
ὅ integrae sententiae praemissum 70.
οἰκονόμος 93.
ὅμως traiect. 80.
ὅσοι 134.
οὐ μὴ 120.
οὐδέ et οὔτε 47.
οὐκέτι non pro οὐ 83.
ὄφελον cum indicat 117.
παιδαγωγός 90.
πάλιν non *contra* 113.
παρεισάγειν 57.
Particip. praesent. pro substant. [add. Bremi Demosth. p. 72., Schäfer ad Demosth. IV. p. 70. 159.] 53. 135.
πάσχειν in bon. sensum 74.
πείθειν 44.
πεισμονή 115.
πορθεῖν 48.
Praesentis imperativi usus 128.
πραότης et πραΰτης 125. [v. de notione voc. Aristot. Eth. Nicom. 2, 7. defin. p. 223. Sylb.].
προγράφειν 73.
προκαλεῖσθαί τινα 126.
προκόπτειν 49.
προλαμβάνεσθαι 126.
Pronom. pers. usus 73.
πρόσωπον, κατά [add. Ctes. fragm. 10.] 63.
σάρξ 74. σάρξ καὶ αἷμα 50.
זֶרַע 81.
στίγματα 136.
στοιχεῖα τοῦ κόσμου 94.
στῦλοι trop. 61.
συγκλείειν 89.
συμπαραλαμβάνειν 54.
συνεσθίειν 63 sq.
συστοιχεῖν 109.

ταράσσειν 43.
τότε non pro πάλαι 97.
Transitus a plural. ad singular. 97. 127.
υἱοθεσία 96.
ὑπέρ et περί permutat. 40.
φαρμακεία 122 sq.
φόνος et φθόνος permut. 123.
φρεναπάτης [cf. Jac. 1, 26. ἀπατῶν καρδίαν αὑτοῦ] 128.
Futur. med. sensu passivo 118.
χριστός 82.
ὠδίνειν 105 sq.
ὡς non *quamdiu* 132.

Druck von J. S. Wassermann in Leipzig.

boren und von seiner Mutter, um ein königl. Vertilgungsedict (Exod. 1, 8 ff.) zu umgehen, in das Uferschilf des Nils ausgesetzt Exod. 2, 1—4. Hier fand eine ägyptische Prinzessin das Kind und liess es als Sohn am königlichen Hofe erziehen Exod. 2, 5—10. vgl. Act. 7, 21. Ueber die weitere Jugendgeschichte des M. schweigt die Urkunde und zeigt ihn erst wieder im männlichen Alter in der Mitte seiner hartbedrängten Volksgenossen. Ein in aufwallender Hitze an einem Aegypter verübter Mord [1]) nöthigte ihn zur Flucht in das angränzende Arabien, wo er sich bei einem midianitischen Nomadenhaupte aufhielt und dessen Tochter heirathete Exod. 2, 11 ff. (alberne Fabel bei Pseudojon. Exod. 2, 21.) [2]) Hier, auf den einsamen Triften, reifte in ihm der Entschluss, sein schmählich bedrücktes Volk vom ägyptischen Joche zu befreien. Durch eine wunderbare Erscheinung (Exod. 3.) bestärkt und zu hoher Begeisterung entflammt, kehrte er, von seinem jüngern Bruder Aaron geführt, zu den Volksgenossen zurück (Exod. 5.) und suchte, unterstützt von diesem, den Israeliten die Erlaubniss auszuwirken, in die Wüste ziehen zu dürfen Exod. 5. 6. Aber erst eine Reihe schwerer göttl. Strafgerichte konnte den ägypt. König bewegen, nicht nur diese Erlaubniss zu gewähren, sondern die Israeliten selbst zum Fortzuge anzutreiben Exod. 7—12. Glücklich führte M. den ziemlich starken und, jener Erlaubniss ohngeachtet, von den Aegyptiern bald verfolgten Zug nach der Wüste (Arabia petraea) Exod. 13. 14., wendete sich zuerst südöstlich (Exod. 15—18.), gab am Sinai dem störrischen Volke Gesetz und Cultus (Exod. 19—40.) und zog dann in nördlicher Richtung gegen die Wüste Paran vor, wo er das Land Canaan auskundschaften liess Num. 10—13. Die Unmöglichkeit, von dieser Seite her das Land zu erobern, erbitterte das auf kriegerische Anstrengungen nicht vorbereitete Volk gegen seinen Anführer Num 14—16. Unter Murren und Ungehorsam folgte es dem Moses, der jetzt auch seinen gewandten Bruder Aaron verlieren musste (Num. 20.), nach der edomitischen Gränze. Aber hier wurde ihnen der Durchzug verweigert (Num. 20.), und nun sah sich Moses genöthigt, die der Eroberung des Landes nicht gewachsene Generation in die Wüste zurückzuführen, und vermochte, das Edomiterland umgehend, erst mit einem herangewachsenen kräftigern Geschlechte von Südosten aus seine Operationen auf Canaan fortzusetzen Num. 21. Es gelang, die dort wohnenden Völkerschaften nach und nach zu besiegen, obschon dieser Sieg durch religiös-sittliche Verschlechterung der Israeliten erkauft wurde Num. 21. 25. 31. Ein grosser, östlich vom Jordan gelegener Landstrich konnte bereits einigen Stämmen angewiesen werden (Num. 32.), auch wegen Eroberung und Vertheilung des eigentlichen (diesseitigen) Canaan traf M. Veranstaltung, musste jedoch, von Alter gedrückt, das Heerführeramt in die Hände des kräftigen Josua niederlegen (Deut. 31.) und bald darauf, nachdem er von den Höhen am todten Meere das seinem Volke bestimmte schöne Land wenigstens überschaut hatte, im 120. Lebensjahre (nach Trebell. Pollio vita Claud. c. 1. im 125. Jahre,

---

1) Wie Pseudojonath. die Schmach dieses Mordes zu mildern sucht, möge zu seiner Charakterisirung hier angemerkt werden: Praevidit M. sapientia mentis suae et consideravit omnes aetates, et ecce, non erat futurus ex illo Aegyptio vir proselytus aut ex nepotibus eius qui ageret poenitentiam ullo unquam tempore. — 2) Mit Exod. 2, 16 f. vgl. als Parallele Gen. 29, 1 ff.

Handbuch der theologischen Literatur,

hauptsächlich der protestantischen, nebst kurzen biographischen Notizen über die theologischen Schriftsteller.

Von **Dr. Georg Bened. Winer,**
königl. Kirchenrath u. s. w. u. s. w.

3te sehr erweiterte Auflage. 1838|40.

1. Band: die wissenschaftliche Literatur enthaltend, 30 Bogen gr. 8.;
2. Band: die praktische Theologie enthaltend, 32 Bogen gr. 8.; und
Erstes Ergänzungsheft: die Literatur bis zu Ende 1841 fortführend, 12 Bogen gr. 8. — Früherer Ladenpreis 6 Thlr.,

jetzt auf 1 Thlr. ermässigt.

Dieses Werk, welches einen in der theologischen Welt so gefeierten Namen an der Spitze führt, umfasst die theologische Literatur bis und mit 1841 nicht blos in systematischer Ordnung, sondern es ist auch so planmässig auf kunstvollem architektonischen Grundrisse angelegt, mit solcher Gründlichkeit und Genauigkeit zusammengetragen und in den ziemlich weit gesteckten Grenzen so vollständig, dass der einfachste wie der gelehrteste Theolog nicht blos der protestantischen, sondern auch der katholischen Welt gewiss in jedem Falle darin die genügendste Auskunft finden wird. Es enthält die sichersten, meist auf Autopsie beruhenden Angaben über Titel, Verfasser, Verlagsort und Jahr jedes nennenswerthen Buches, in jeder theologischen Disciplin, selbst im homiletischen und ascetischen Fache, ja selbst aller wichtigen Dissertationen, wenn sie nicht in Sammelwerke übergegangen sind, und ein umfangreicher Anhang giebt die zuverlässigsten biographischen Notizen über jeden theologischen Schriftsteller. Wie nützlich ist ein solches Werk nicht blos für den gelehrten Theologen, sondern ganz besonders auch für den praktischen Geistlichen, der abgeschnitten von den Bibliotheken, über diesen oder jenen Zweig seiner Literatur, über diesen oder jenen berühmten oder unbekannten Namen Auskunft sucht! Und welch' ein Hülfsmittel ist es für den angehenden Theologen, der so manchmal sein Heft mit falschen Namen und Angaben füllt, wie für den gereiftern, der sich zum Examen vorbereiten will, das ja jetzt mit Recht sich auch auf

Bible. N.T.Galatians.
Latin. Pauli ad Galatas epistola.